Aristophanes

Thiersch, Friedrich Wilhelm von

Aristophanea

ARISTOPHANEA,

scripsit

Friedrich Wilhelm von

Dr. Fridericus Thierschius.

ARISTOPHANEA,

sive

dissertatio de locis nonnullis difficilioribus Aristophanis rite constituendis et explicandis recitata die secundo mensis Augusti anni 1834 in consessu primae classis Academiae litt. Reg. Monacensis. Addita sunt epimetra duo.

Constitui, Socii illustrissimi, communicare vobiscum observationes de nonnullis Aristophanis locis difficilioribus, quibus poëtae lectionem emendari aut rectius quam hucusque factum est explicari posse arbitror. Initium fiet a versibus Nubium, in quibus Socrates ab Aristophane furti insimulatur. Postea quam enim Socratis discipulus Strepsiadi varia praeceptoris artificia exposuit, quibus ille in rebus subtilibus enucleandis aut ingeniis auditorum acuendis uteretur, his verbis narrationem continuat versu 176 seqq.

Μαθητής.

Ἐχθὲς δέ γ' ἡμῖν δεῖπνον οὐκ ἦν ἑσπέρας.

Στρεψιάδης.

Εἶεν· τί οὖν πρὸς τἄλφιτ' ἐπαλαμήσατο;

Μαθητής.

Κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν
Κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβών,
Ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο

Στρεψιάδης.

Τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;
Ἄνοιγ' ἄνοιγε τὴν θύραν. κ. τ. λ.

Jam primum apertum est, in artificio describendo agi de geometria et geometrico apparatu. Nam Socrates circinum aut praeparat aut capit, cujus auxilio *τῆς γεωμετρίας διαγράμματα* ducuntur. Ad haec autem efficienda non creta utebantur deambulantes illi et discipulis circumfusi magistri, sed pulvere sparso. Notum est, quod de Aristippo refertur, qui cum naufragium fecisset, ex figuris geometricis, quas in littore descriptas conspicabatur, intellexit, se cum sociis in terram delatum esse ab incolis vere hominibus id est ingeniorum cultu ornatis habitatam. Cf. Galen. Protrept c. V. p. 11 ibique interpretes. Hinc Archimedes e pulvere et radio excitatur Cic. Tusc. Disp. V. 23 et Senec. Ep 88. „In geometriae pulvere haerebo"? Locus autem, in quo Socrates haec parasse dicitur, palaestra est i. e. gymnasium, in qua philosophis eorumque institutioni locus patebat. Celebrata sunt a Platone ipsius Socratis cum Lyside, Charmide aliisque juvenibus colloquia, in istis locis instituta, et Vitruvius in descriptione palaestrae l. V. c. 9 de iisdem: „Constituantur autem in tribus porticibus exedrae spatiosae habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint". Nec vero in eis geometrarum usui pulveris copia deerat, quo nimirum luctatores oleo peruncti sese conspergerent, in aperta arena porticibus inclusa, quam *τὸ αἴθριον τῆς αὐλῆς* Lucianus appellat Anachars. c. 2 et conisterium Vitruvius l. l. Non igitur mirum, si Socrates in palaestra institutionem geometricam simulat, in eo tantum ab usu recepto diversus, quod non arena vel pul-

vere utatur ad figuras, sed cinere. Quo consilio statim patebit. Reliqua multis dubitationibus obnoxia. Ac furti quidem insimulatio inest verbis: *ἐκ τῆς παλαίστρας θοιμάτιον (τὸ ἱμάτιον) ὑφείλετο.* — Quid vero *ἱμάτιον* hic locorum? Nempe pueri et juvenes vestibus in palaestra depositis nudi ad luctam descendebant. Cf. Lucian. Anachars. init. *καί τοι κατ' ἀρχὰς εὐθὺς ἀποδυσάμενοι (ἑώρων γάρ) λίπα τε ἠλείψαντο καὶ κατέψησε μάλα εἰρηνικῶς ἅτερος τὸν ἕτερον ἐν τῷ μέρει· μετὰ δὲ . . . ὠθοῦσί τε ἀλλήλους κ. τ. λ.* Cogites igitur primo adspectu, sermonem esse de veste ab ephebo aliquo in palaestra deposita. Jam apparatum ad furtum faciendum necessarium monstrat versus *κάμψας ὀβελίσκον· εἶτα διαβήτην λαβών.* — *Ὀβελίσκος*, quoniam *τέφρα* simul commemoratur, locum indicat, in quo sacra facta et carnes assatae erant, usu jam homericae aetati cognito:

> *μίστυλλον δ' ἄρα τἆλλα καὶ ἀμφ' ὀβέλοισιν ἔπειραν,*
> *ὤπτησαν δὲ περιφραδέως κ. τ. λ.* Il. *α* 465 al.

Cineres igitur sunt ex sacrificiis eorumque igne reliqui. His indiciis ad aram deo alicui sacratam ducimur, et cum simul mensa ponatur, intelligenda erit *ἱερὰ* illa *τράπεζα*, in monumentis Graecorum, in primis autem Aegyptiorum saepe repraesentata, in qua hostiarum femora, lepores aut volucres integras, panes, placentas, fruges atque flores acervata videas. Ad hunc igitur sacrificulorum apparatum veru quoque pertinebat, neque credendum Schützio, veruculum a Socrate in palaestram allatum. Sed dubium est necti an sejungi debeant *ὀβελίσκος* et *διαβήτης* in versu *κάμψας ὀβελίσκον εἶτα διαβήτην λαβών.* Separavit Reisigius in Praef. ad Nubb. p. XXV. vertens „veruculo incurvato et circulo prehenso, sed male idem omnem scenam e palaestra in aedes Socratis transtulit, ut philosophus non furem egisse, sed furti commode perpetrandi artificio delineato esurientes discipulos demulsisse fingeretur, nullo usu si mores Socratis culpa liberare voluit. Perinde enim est, furem an furti ma-

gistrum agere, nec meliore successu, si nexum respicias. Nam ut Socratem delineandi artis experientissimum omittamus, quem nobis haec explicatio sistit, ut concedamus etiam, hac delineati furti imagine subtilitatis et nequitiarum alumnos istos delectari potuisse, quomodo tibi finges Strepsiadem, hominem rusticum et incultum et qui sciret, quid esset esurire, hujusmodi imaginis cogitatione non solum delectatum sed ita abreptum fuisse, ut Socratem ultra Solonem extolleret et in scholam irruere niteretur? Haec igitur absona sunt a ratione poëtae et ab omnibus, qui post Reisigium interpretes Nubium extiterunt jure meritoque repudiata. Altera ratio est, qua ὀβελίσκος et διαβήτης jungunt. Hanc sequuntur scholiastae: ὀρθὸν ὄντα, φησίν, τὸν ὀβελίσκον ἔκαμψεν, ἵνα δι᾽ αὐτοῦ κλέψῃ τὸ ἱμάτιον.... Ἄλλως· ἐπειδὴ οἱ τὰ γεωμετρικὰ θεωρήματα διδάσκοντες διαβήταις γράφουσιν ταῦτα, φησίν· ὅτι ὀβελίσκον κάμψας καὶ διαβήτου σχῆμα λαβὼν . . . ὑφεῖλε τὸ ἱμάτιον. Haec posterior explicatio, qua veruculum in circini formam Socrates curvasse dicitur, haud dubie vera est. Nam circino ipsi ad aram nullus neque usus neque locus, et Socrates, qui ibi geometriam simularet, circinum sibi praeparare debebat. Διαβήτην autem recte describit schol. Ἐργαλεῖον ὁ διαβήτης . . . τῷ Α στοιχείῳ παρεοικός. κ. τ. λ. Constructionis rationem perspexit jam Glossator ap. Dobreaeum p. 21. Appendicis ad Aristophanica Porsoni v. 178 „ὡς atramento script. in 5 supra διαβήτην et supra ὡς, περίγραν (πυράγραν?) rubr“. Voluit igitur ille ὀβελίσκον ὡς διαβήτην λαβών, vel potius supra διαβήτην glossam posuit ὡς πυράγραν. Haec struendi ratio probata Hermanno, qui post Duckerum laudat Av. 1002 τὸν κανὸν . . . ἐνθεὶς διαβήτην, item Porsono qui in ed. Bekkeri affert Anaxandridem Stobaei XXXIX = XI. ὅστις λόγους παρακαταθήκην γὰρ λαβὼν (scr. παραλαβὼν). Eadem structura obvia in loco dubio v. 55 ἐγὼ δ᾽ ἂν αὐτῇ θοἰμάτιον δεικνὺς τοδὶ Πρόφασιν ἔφασκον· ὦ γύναι λίαν σπαθᾷς, in quo σπαθᾶν sensu lascivo intelligendum de muliercula cum marito decubante, quam ille lassus nimirum jam et fatigatus coercet veste interposita. Hoc autem

efficit τὸ ἱμάτιον δεικνὺς πρόφασιν i. e. ὡς πρόφασιν, idque poëta ἀπροσδοκήτως suo more, ubi exspectes τιθεὶς προκάλυμμα aut simile quid, ut vice versa mulier apud Tibullum I. 9, 56. „Tecum interposita languida veste cubet". Haec si vera sunt, admitti non poterit ratio, quam video probari Reisigio aliisque, quum statuunt κάμψας ὀβελίσκον ita intelligendum esse, ut Socrates cuspidem veruculi incurvasse dicatur instar unci, cujus auxilio vestem correptam adtraheret. Nam ut circinum referret veru, medium incurvare ejusque crura aequali longitudine efficere debuit. Accedimus ad ipsius furti rationem, in qua investiganda quaeritur, quid furatus dicatur Socrates, quo loco, qua ratione? Libri manu scripti omnes referunt θοἰμάτιον. Haec lectio dudum fuit suspecta propter articulum. Non enim de certo quodam vestimento hic sermo est: non τὸ ἱμάτιον sed ἱμάτιον ὑφείλετο Socrates dici debebat. Itaque Brunckius articulum omiserat, quem nec Demetrius habet 152 p. 660, 22. teste Porsono in ed. Bekk. p. 290, Hermannus autem in priore editione scripserat θ' ἱμάτιον, structuram post κάμψας interruptam et per τε continuatam in simplicissimam orationem haud recte inferens. Sed idem vir egregius in nuperrima Nubium editone ulterius progressus ipsam lectionem ἱμάτιον vel θοἰμάτιον sollicitare studuit, recte omnino, quamquam rationibus usus, ut mihi quidem videtur, minus idoneis. Nimirum dicit offendere ipsum illud, quod vestem surripuisse dicatur Socrates. Addendum enim fuisse etiam venditam vel oppigneratam esse, ut emeretur, quo coenarent; tum mensam in palaestra, deinde cineres in mensa sparsos; porro unde sumptum sit interrogat, quod pro circino esset veruculum? Postremo vituperat, quod non appareat, quomodo circino circulum describens vestem furari Socrates potuerit. Jam quod ad primum, quo utitur argumentum attinet, sufficiebat audientibus dici, vestem fuisse surreptam, venditam aut oppigneratam esse, ut numos haberent, quibus coenam emerent, ipsi intelligebant, et esset talis brevitas ex narrationis hujus natura, in qua tantum capita rerum tanguntur. Cum autem totius loci indoles indicet, scenam agi ad

aram, neque de cineribus in ea sparsis nec denique de veru, unde id venerit, spectatores dubii esse poterant. Sed adsunt alia et, ni fallor, graviora, quae lectionem *θοιμάτιον* vel *ἱμάτιον* convellant, ac primum quidem scholiastae ad vers. 97 auctoritas. Is enim ad elevandam Aristophanis calumniam contendit, Socratem ab Eupolide quamvis paucis verbis durius tractatum fuisse quam ab Aristophane totis Nubibus: *Ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὅλαις ταῖς Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο.* Huic opinioni ut fidem faciat ex Eupolide versus affert, in quibus Socrates cyathum vel *οἰνοχόην* surripuisse dicitur: *οὐδὲν δὲ χεῖρον ὑπομνησθῆναι τῶν Εὐπόλιδος.*

Δεξάμενος δὲ Σωκράτης
τὴν ἐπίδειξιν (vid. add. *τῶν μελῶν*)
Στησιχόρου, πρὸς τὴν λύραν
οἰνοχόην ἔκλεψεν·

οἷον δ' (scr. *δὴ*) *ἦν ὁρᾶν τὸν φιλόσοφον τὸ ἐν φανερῷ μάλιστα σκεῦος κατακείμενον κλέπτοντα καὶ ὑφαιρούμενον.*

Patet huic scholiastae prisco sane et erudito nihil de veste a Socrate surrepta in Nubibus auditum neque lectum. Nam tale quidem furtum maximum erat et crimen capitale. Solonis enim legibus morte puniebatur, qui ex gymnasiis vestem surripuisset. Cf. Demosth. contra Timocratem. Opp. T. I. p. 736 l. 6 ed. Reiskii *καὶ εἴ τίς γ' ἐκ Λυκείου ἢ ἐξ Ἀκαδημίας ἢ ἐκ Κυνοσάργους ἱμάτιον ἢ ληκύθιον ἢ ἄλλο τι φαυλότατον, ἢ τῶν σκευῶν τι τῶν ἐκ τῶν Γυμνασίων ὑφέλοιτο . . . καὶ τούτοις θάνατον ἐνομοθέτησεν εἶναι τὴν ζημίαν* (*ὁ Σόλων*). Quodsi igitur Aristophanes furti, cui mors poena proposita erat, Socratem insimulasset, scholiasta nulla prorsus ratione dixisset, omnia, quae in Nubibus legerentur, non accedere ad Eupolidis calumniam, qui a Socrate cyathum surreptum

finxerit. Accedunt difficultates ductae a veste ad aram deposita et ab hora, quae huic scenae assignatur. Vidimus supra, hanc, quam surripuisse diceretur Socrates, cogitari debere ex numero earum fuisse, quas pueri et ephebi luctaturi in palaestra deponerent. Hi autem non sub dio neque ad aram, sed in locis clausis vestes exuebant ibique sua omnia sub custodia famulorum relinquebant. Quin omne commercium inter adolescentulos denudatos atque inter spectatores, qui ex porticibus certamina eorum in area peragenda videbant, erat interruptum, quam ob causam ista spectantium cohors *οἱ ἔξωθεν* dicuntur Nubb. 974, nec illi nisi finito labore et veste denuo sumta cum his miscebantur. Accedit, quod res vespere facta dicitur: *ἐχθὲς δέ γ' ἡμῖν δεῖπνον οὐκ ἦν ἑσπέρας*, quo tempore exercitationes in palaestris jam desierant. Nempe lucta adolescentulorum et labor in palaestra meridiem versus incipiebat, posteaquam grammatistarum, musicorum, philosophorum institutio desierat, cf. Lucian. Amorr. §. 45 *καὶ πρὸς ἡλίου μεσημβρινὸν θάλπος ἐγκονίζεται τὸ σῶμα πυκνούμενον*. Post luctam itum ad lavacra, ut corpus oleo, pulvere ablueretur et a molestia reficeretur, inde ad coenam discessum cf. Lucian. l. l. Haec omnia ante Solis occasum fiebant, ante quem palaestra claudi debebat ex lege Solonis ap. Aeschin. c. Timarch. in Reisk. Opp. Oratt. T. III. p. 37 *οἱ δὲ τῶν παίδων διδάσκαλοι ἀνοιγέτωσαν μὲν τὰ διδασκαλεῖα μὴ πρότερον ἡλίου ἀνιόντος, κλειέτωσαν δὲ πρὸ ἡλίου δύνοντος*. Jam apertum erit, eo diei tempore, quo Socrates in palaestram ingressus fingitur, nihil illic luctationum, nihil vestium depositarum amplius fuisse, quo cognito facile vides fundamentum solvi, quo omnis explicatio de veste pueri vel ephebi ex palaestra surrepta nitebatur. Eodem igitur deferimur, quo Hermannus, quamvis alia via, ut lectionem *θοιμάτιον* vel *ἱμάτιον* corruptam statuamus, et conjecturam, qua locum sanare instituit, amplectimur tanquam palmariam tantoque critico dignam. Scribendum enim ille vidit *θυμάτιον ὑφείλετο* pro *θοιμάτιον*. *Θῦμα* hostia est vel victima vel quidquid aliud deo offertur, veluti bos apud Posidippum Athenaei IX. p. 377. *Α*

Διακονοῦμεν νῦν γάμους· τὸ θῦμα βοῦς· fruges diversi generis sunt, apud Sophocl. Electr. 634, quos Clytaemnestra Apollini offert, id est in mensa ejus cum precibus deponit: *Ἔπαιρε δὴ σὺ θύμαθ' ἡ παροῦσά μοι Πάγκαρπ', ἄνακτι τῷδ' ὅπως λυτηρίους Εὐχὰς ἀνάσχω* Cf. Suid. p. 1921 B. Gaisf. *θύματα, θυμιάματα ἀπαρχαὶ, θυσίαι Ἀριστοφ. τὰ θύματ' οὐδέν ἐστι πλὴν γένεια καὶ κέρατα. Ἐπὶ τῶν ἱερείων τῶν μὴ ἐχόντων σάρκας.* Locus Aristoph. Av. 902 ita editur: *Τὰ γὰρ παρόντα θύματ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν Γένειόν ἐστι καὶ κέρατα.* Hinc ductum *θυμάτιον*, quod *θυμήτιον* scriptum Suid. T. I. p. 1922 C. hostia vel sacrificium minoris momenti: *θυμήτιον) τὸ μικρὸν θῦμα καὶ εὐτελές*, sed idem p. 1921 C. *θυμάτιον, θῦμα* ex usu jam Aristoph. aetate vulgato *μειώσεως*, quae significationem vocabuli, ex quo ducta est, non amplius minuebat, quod jam in *ὀβελίσκος* pro *ὄβελος* adhibito interpretes notaverunt. Hac autem felicissima conjectura, quae eadem et facillima est locus ab impedimento vestis et memoria non dico Socratis sed Aristophanis a calumnia nimium gravi liberatur. Nam Socratem videmus nunc quidem non qui in veste e palaestra furanda crimen capitale committere, sed qui hostiola surrepta famem sibi et discipulis sedasse perhibetur. Simul intelligitur, qua ratione Scholiasta ad vers. v. 97. Eupolidis calumniam illam Socrati adspersam procaci Aristophanis culpandi lubidine atrociorem dicere poterat. Nam surripere cibi aliquid in aris relicti id quidem etsi non honestum, at tamen esurienti condonatum erat. Jam quaeri debet, cujus dei ea sacra fuerint, quae Socrates surripuisse dicitur. Notum est Gymnasio Mercurium fuisse praesidem, palaestrae et certaminum ejus moderatorem, *Ἑρμῆν ἐναγώνιον*, qui Herculem vel Amorem vel utrumque in his locis *θεοὺς παρέδρους* habebat. His igitur in gymnasiis sacra fiebant, Mercurio inprimis. Hinc *ἕρμαια ἐν τοῖς Γυμνασίοις* a juvenibus et pueris celebrata secundum legem Solonis apud Aeschin. l.l. *Καὶ οἱ γυμνασίαρχοι τοῖς Ἑρμαίοις μὴ ἐάτωσαν συγκαθιέναι μηδένα τῶν ἐν ἡλικίᾳ τρόπῳ μηδενί*, cujus sacrificii exemplum est apud Platonem in Lysid. p. 206 B jam ab Hermanno allatum: *καὶ ἅμα λα-*

βῶν τὸν Κτήσιππον προσιέναι εἰς τὴν παλαίστραν . . . εἰσελθόντες δὲ κατελάβομεν αὐτόθι τεθυκότας τε τοὺς παῖδας καὶ τὰ περὶ τὰ ἱερεῖα σχεδόν τι ἤδη πεποιημένα. Porro *κατ᾽ ἐξοχήν* commemoratur *Ἑρμῆς ἐν Παλαίστραις* tanquam juvenis arte gymnastica exculti perfectissimum exemplar cf. Lucian. Amorr. §. 46 *πῶς δ᾽ οὐκ ἂν ἀγαπήσαι (τίς) τὸν ἐν παλαίστραις μὲν Ἑρμῆν, Ἀπόλλωνα δὲ ἐν λύραις κ. τ. λ.*

Superest, ut de ratione surreptae a Socrate hostiae videamus. Cum autem veru in circinum flexisse dicatur, statuerunt, hoc eo consilio factum, ut isto instrumento non solum ad figuras geometricas, sed etiam ad corripiendum, quod appeteret, uteretur. Omitto priores interpretes, quorum ratio corrupta lectione nititur, Hermannum videamus, cujus ingenio vitium sublatum est, non vero haec ultima loci difficultas. Ait ille: „Esuriens cum esurientibus discipulis adstitit in palaestra ad mensam, in qua et hostia et quibus ad sacra opus est instrumenta jacebant. Ibi mensam conspersit cinere, cujus copia erat ex igne sacrorum caussa accenso, arreptoque veru eoque in circini modum inflexo circulum coepit describere sic ut qui circumageretur circini pes hostiam corriperet secumque auferret.“ Manifestum est hoc modo novas difficultates cieri. Nam si hostia, si instrumenta sacra in tabula erant disposita, quomodo tibi aptam eam fingas geometricae demonstrationi, ad cujus figuras recipiendas vacua esse debebat? Quid vero? Socratine permissum fuit, mensam sacram inter hostias et organa ista cinere conspergere, et si haec omnia statuas, quomodo latere potuit ea machinatus, quae statui videmus ab Hermanno? Nam in loco publico non solum discipuli esurientes, verum etiam alii palaestrae spectatores adstant, quos fallere debebat. Id autem quomodo fieri potuisse tibi fingas, si omnes in id ipsum, quod surripere voluit, convertebat? Necesse enim erat, ut qui videndi et audiendi caussa adstarent circinum dum orbem describeret oculis sequerentur, et hoc ipsum conspicarentur, quod ejus pede in ipso opere

porrecto corripere esuriens sophista volebat. Igitur contrarium rei, quae verbo ὑφελέσθαι indicatur, accidisset, nempe furtum manifestum κλοπὴ ἐν φανερῷ et omnium oculis deprehensum. Accedit autem nova loci difficultas, quam hucusque non tetigimus. Mirum enim est, quod tertio demum versu ὡς ἐν παρέργῳ palaestrae mentio injicitur. Ejus enim commemoratio, si apte scenam disponi statuas, reliqua praecedere debuit, ut statim ab initio pateret, ubi locorum res gereretur. Ex his patet Hermannum, venia hoc summi viri et quondam praeceptoris mei dixerim, veram quidem viam ingressum esse, sed in media substitisse. Ad solvendas has postremas loci difficultates juvat, quod Invernizzius e codice Ravennat. affert: „In libro Rav. scriptum fuerat ἐκ τραπέζης, cujus deinde loco παλαίστρας substitutum est. Atque ejus quidem libri grammaticus ad vocem τραπέζης suum commentarium fecit". Non dicit, quod commentarium additum fuerit vocibus ἐκ τῆς τραπέζης, neque docet, num eadem manu, qua codex scriptus est, an recentiore aliqua facta sit mutatio. Immanuel autem Bekkerus, si is nominandus in editione Londinensi anni XXIX. huj. saec., quae ex ejus nomine ornatum quaesivit ne hoc quidem habet, quod Invernizzius e pretioso isto libro nobis de loco nostro affert. Patet autem in Rav. ἐκ τῆς τραπέζης genuinam fuisse lectionem, quia Scholiasta eam in isto loco explicuisse traditur ab Invernizzio. Hoc si verum, ἐκ παλαίστρας scriptum est a recentiore librario, qui lectionem in reliquis libris traditam tueri vellet. Quodsi vero in postremo versu ἐκ τῆς τραπέζης lectum fuit, sequitur κατὰ τῆς τραπέζης non potuisse legi in priore et παλαίστρας ibi situm fuisse. Hac igitur lectione et conjectura Hermanni copulata locus ita constituendus:

> Κατὰ τῆς παλαίστρας καταπάσας λεπτὴν τέφραν
> κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβών,
> ἐκ τῆς τραπέζης θυμάτιον ὑφείλετο.

Jam vides palaestram suo loco nominari et cum pars ejus arae

proxima intelligatur, quae quidem arenam non habebat, commode Socrates ibi cinerem dispergit, in quo figuras delineet. Non minus apte hostia surripitur ex mensa, in qua erat posita. Denique ipsius artificii ratio patet. Nempe Socrates circini auxilio in area figuras ducit, et dum adstantes eas contemplantur ipsumque eas explicantem audiunt, usus occasione ex mensa juxta vel ante quam adstiterat hostiam surripere et in pallio condere potuit.

Alter locus Nubium, de quo paullo accuratius agere constituimus, versu 1362 seqq. comprehenditur:

Στρεψιάδης.

Τοιαῦτα μέντοι καὶ τότ' ἔλεγεν ἔνδον οἷάπερ νῦν,
καὶ τὸν Σιμωνίδην ἔφασκ' εἶναι κακὸν ποιητήν.
κἀγὼ μόλις μέν, ἀλλ' ὅμως ἠνεσχόμην τὸ πρῶτον
ἔπειτα δ' ἐκέλευσ' αὐτὸν, ἀλλὰ μυῤῥίνην λαβόντα
τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι· κᾆθ' οὗτος εὐθὺς εἶπεν·
'Εγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς,
ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν·
κἀνταῦθα πῶς οἴεσθέ μου τὴν καρδίαν ὀρεχθεῖν;
ὅμως δὲ τὸν θυμὸν δακὼν ἔφην· κ. τ. λ.

Ad Aeschyli ingenium describendum quatuor praedicata adhibuit. Nominat eum *ψόφου πλέων*, quod referas ad sonorum illud et altisonum in Aeschyli dictione, vel ut obtrectatores dicebant strepitum et jactantiam, ad ejus *ῥήματα βόεια*, quae Euripides incusat Rann. 922 *ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους δεῖν' ἄττα μορμυρωπά* et ibidem v. 938. *τέχνην Οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν*, contra chorus cum laude *ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνά* ib. 1002. — *Στόμφαξ* autem ex *στόμα* et *ὄμφαξ* compositum eum significat, qui ore *ὄμφακας* uvas acerbas refert, cujus oratio tam dura est, ut os contrahat atque constringat. Schol. *σκληρὸν*

παρὰ τὸ στόμα καὶ τὸν ὄμφακα οἷον τραχύν. Gl. κομπαστήν. Suid. ἵν' ᾖ λέγων ὄμφακας ἔχων ἐν τῷ στόματι τοὺς μύθους. In his glossa κομπαστήν idonea ad ψόφου πλέων explicandum voci nostrae non respondet. Nec melius Schol. μεγαλοῤῥήμονα. — Ἀξύστατον quod cum nullo constat, insociabile. Sic Helena Ἀνδρῶν ψυχὰς Δαναῶν ὀλέσας Ἀξύστατον ἄλγος ἔπραξεν Aeschyl. Agam. 1467 et ad sermonem poëtae translatum, qui sibi non constat, secum ipse pugnat, sibi impar, modo altus modo depressus neque unquam rebus accommodatus. Recte Gl. Br. ἄνισον. Eodem fere redit Schol. et Suidae explic. οὐ ξυνεστῶτα οὐδὲ πυκνὸν, ἀλλ' ἀραιὸν ἐν τῇ ποιήσει καὶ κομπώδη. Male idem ἢ ἀδιαθέτως ἢ ἀπιθάνως συντιθέντα. Hoc quid sit expl. Schol. τὰ γὰρ ῥήματα Αἰσχύλου φαντασίαν μὲν ἔχει, βασανιζόμενα δὲ οὐδεμίαν ἔχει πραγματείαν ἀπιθάνους συνιστάντα τοὺς μύθους. Illud esset κενὸν hoc στραβὸν aut simile aliquid, neutrum vero ἀξύστατον. — Κρημνοποιός de poëta, qui ἀπότομα, abrupta, praecipitia loquitur. Male Schol. Κρημνοποιόν μεγάλας λέξεις ποιοῦντα. Multum enim diversa κρημνὰ et μεγάλα. Eadem Suid. v. κρημνοὶ, qui ejus explicationis aliquam sed falsam rationem habet in κρημνὸς . . . ἐπειδὴ πάντα τὰ ὑψηλὰ κρημνοί, quod nec ipsum verum. Nec melius Gl. Br. σκληρολέκτην. Accuratius quid voluerit ipse Aristophan. in Ranis v. 927 sub Euripidis persona dicit: ῥήμαθ' ἱππόκρημνα ἃ ξυμβαλεῖν οὐ ῥᾴδι' ἦν.

Jam ad sententiarum nexum accedimus, qui quidem magnis difficultatibus laborat. Nam versu priori 1370 Aeschylum principem poëtarum nominasse dicitur Phidippides: ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς et in posteriore ea de hoc primario scilicet poëta praedicat, quae pessimum videntur indicare, esse eum strepitus plenum, non sibi constantem, crudi oris et qui in arte praeceps ruat. Hanc interiorem utriusque versus repugnantiam tollere studuerunt variis modis. Sunt autem, qui dicant laudari nimirum Aeschylum in posteriore versu, sed laudari modo perverso. Hoc enim esse Phi-

dippidis ingenium, ut laudes poëtae in rebus quaerat, quae viris sinceri judicii damnandae videantur. Sed huic rationi duo obstant, primum quod praedicata cumulat, quae ne inter perversissimos quidem judices in laude poni possunt, ut cum eum *στόμφακα* appellat. Quis enim nisi insanus poëtam non dico principem judicet sed omnino poëtam quem ipse crudi oris et ejus poëmata ita composita dicat, ut immaturae uvae instar os constringant? Accedit, quod eodem fere modo quamvis diversis verbis Aeschylus apud Aristoph. ab Euripide in Ranis v. 835 seqq. corripitur:

> *Ἐγῷδα τοῦτον καὶ διέσκεμμαι πάλαι*
> *ἄνθρωπον ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον,*
> *ἔχοντ᾽ ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀπύλωτον στόμα,*
> *ἀπεριλάλητον, κομποφακελοῤῥήμονα.*

Apertum igitur in utroque loco acerbissimam Aeschyleae Musae vituperationem contineri. Accedit totius loci ratio. Jubetur Strepsiades aliquid ex Simonide canere. Respondet se Simonidem malum poëtam habere, hisque verbis negat se aliquid ex ejus carminibus recitaturum. Jam Aeschyleum aliquod postulat Strepsiades, filius autem ea respondet, ex quibus Strepsiades intelligit, juvenem ne ex Aeschylo quidem quidquam cantaturum. Nam versu 1373 narrat senex, se quamvis ira incensum sese continuisse et filio permisisse, ut ex recentiorum poëtarum aliquo caneret, quae vellet: *σὺ δ᾽ ἀλλὰ τούτων λέξον τι τῶν νεωτέρων ἅττ᾽ ἐστὶ τὰ σοφὰ ταῦτα.* Recte igitur glossator Brunckii ad verba *Ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλου κ. τ. λ.* intellexit: *οὐκ ᾄδω δηλαδὴ* „Nihil ego ex Aeschylo cano“ et cum in verbis *ἐγὼ γὰρ* ratio reddatur, quare patri non obediat, necessarium est, versibus sequentibus Aeschylum vituperari, contemni, rejici, ut antea Simonides fuerat cum vituperio rejectus. Manet igitur *τὸ ἀξύστατον* illud in Phidippidis oratione, quod eum in priore versu primum poëtarum nominavit, in posteriore tanquam pessimum taxat. Hinc aliam explicationis viam tentavit Brunckius

signo interrogationis in fine posito: „Num ego Aeschylum principem poëtarum habeo, qui plenus sit strepitus? Sed hoc modo difficultas velatur non tollitur. Nam qui interrogat: egone Aeschylum primum poëtarum habeam, is indicat hoc ipsum ab eo esse postulatum. Sed Strepsiades hoc unum postulaverat, ut filius aliquid ex Aeschyli carminibus recitaret, quo ipso tantum indicaverat, sibi Aechyli poësin probari seque ejus recitatione delectari, ut Simonidis aliorumque antiquorum; at vero nec ipse Aeschylum reliquis omnibus antetulerat nec ut filius id faceret levissimo modo indicaverat. Sensit hoc, ni fallor, ipse Brunckius. Nam in versione signum interrogandi omisit et cum ironica asseveratione haec dici statuit: „At ille continuo: Recte enimvero jubes!“ Namque ego Aeschylo primum inter poëtas locum tribuo, strepitibus pleno, incomposito, duro, confragoso.“ Probat id Hermannus in editione Nubium priore, hac usus ratione: „Sic enim si dicit filius, clare ostendit, tantum abesse, ut primum inter poëtas Aeschylum esse putet, eum ut potius ultimo loco numerandum censeat“. Manet tamen vel hoc modo incommoda illa primi inter poëtas loci commemoratio, et quae ab Hermanno dicitur filius clare ostendisse sublata interrogatione, haec non minus clare ostendebat servata ea. Nam et interrogando, siquidem id cum miratione vel indignatione fit, contrarium ejus, quod interrogatione continetur indicamus. *Ἐγὼ γὰρ θεὸν οὐ νομίζω;* qui interogat, is vel maxime se Deum esse arbitrari affirmat. Ac Hermannus quidem in posteriore editione argumentum illud alio deducit. Ita enim in hac: „Sed non videtur ab librorum scriptura discedendum esse.“ Nam multo aptius est, laudari Aeschylum eo, quod novitia ista Socraticorum doctrina imbutus adolescens eum vituperat, hunc scilicet, inquiens ego primum poëtarum esse censeo. Quo judicio quum antiquae disciplinae sectatorem Strepsiadem vehementius indignantem facit, poëta satis quid ipse de Aeschylo statuerit, aestimare spectatores possunt.“ Hujus rationis vis in eo est, ut Aeschylus laudetur via obliqua, dum perverso novitii judicis opprobrio seni antiqui moris stomachum moveri videmus. Sed non de laude

Aeschyli agitur, verum de judicio juvenis Socratica institutione corrupto. Itaque omnia non apta, quae animum lectoris ab hoc, in quo summa rei vertitur, alio declinant. Accedit et aliud. Si Phidippides Aeschylum cum ironia laudat, non negat, se aliquid ex eo cantaturum, quod tamen ab eo negatum esse ex sequenti Strepsiadis oratione demonstravimus. Adde, quod ne minimum quidem ironiae indicium, nulla particula aut ironica asserendi formula, quae eo ducat, sed simplex et aperta affirmatio: *ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς*. Cum igitur neque interrogationis neque ironiae auxilio e salebris loci evadere possimus, videndum, quid alii tentaverint. Reisigius versum *ἐγὼ γάρ* parentheseos loco habet et ad Strepsiadem ita refert, ut is suum de Aeschylo judicium interponat. Sequutus est in eo Schützii judicium, qui tamen vidit parenthesi admissa non posse versum hoc, quo legitur loco relinqui. Nam praecedente *οὗτος εὐθύλον; εἶπεν*, ea quae subjunguntur *Ἐγὼ γὰρ Αἰσχ.* necessario id debent continere, quod verbo *εἶπεν* indicatur, idque eo magis, quod *εὐθύς* cum *εἶπεν* junctum omne intermedium excludit. Itaque Schützius versum *ἐγὼ γὰρ* in priore Nubium editione post *λαβόντα* posuit:

> *ἔπειτα δ' ἐκέλευσ' αὐτὸν ἀλλὰ μυῤῥίνην λαβόντα*
> *(ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς)*
> *τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι κ. τ. λ.*

Hanc rationem probatam Reizio, Harlesio aliis impugnavit et jure quidem Hermannus, dicens displicere, quod haec parenthesis addatur mentione Aeschyli nondum facta, tum vero, quod hac sententia nihil possit fingi languidius. „Nam quatenus, inquit, spectatorum interesse potest, quid de Aeschylo sentiat Strepsiades, eatenus id magna cum urbanitate indicavit Aristophanes v. 1372, 1373“. Nempe prorsus non curabant auditores, homo rusticus Aeschylum principem poetarum haberet necne, sed delectari poterant audientes, quantopere simplex inculti hominis animus opprobrio in Aeschylum collato irritaretur.

Quod igitur scripsit Aristophanes, id ex artis secretioris natura repetitum, quod Schützius et Reisigius ei obtundunt *ἀπροσδιόνυσον*. His adde, quod non patet, quare Strepsiades, si Aeschylum primum inter poëtas habet, cum tamen secundo loco commemoret, primo vero Simonidem. Nam si id de Aeschylo statuerat, necesse erat, ut ceteris omnibus posthabitis ex Aeschylo aliquid sibi recitandum postularet. Sensisse hoc videtur Schützius. Nam in altera Nubium editione rem omnem silentio pressit. Superest Hermanni ratio *ὡς ἐν παρόδῳ* proposita, qui impugnata Schütziana ita pergit: Multo melius versus iste collocaretur post. v. 1372 hoc modo:

κᾀνταῦθα πῶς οἴεσθέ μου τὴν καρδίαν ὀρεχθεῖν;
ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς.

Nolim cum Hermanno altero melius hoc dici, quo non minus nexus orationis scinditur. Nam qui audiunt *πῶς οἴεσθε κ.τ.λ.* jam intelligunt, quanti Aeschylum faciat Strepsiades et in ipsa interrogationis forma indignationis vis illum amorem tam fortiter exprimit, ut nihil amplius requiras et addita sententia causali eaque simplice, dictionis *ἐνέργειαν* prorsus solvas. Cum igitur versus neque interrogationem neque ironiam admittat, neque parenthesin patiatur, suoque loco neque stare neque moveri possit, sequitur ejus lectionem aliquo modo esse affectam. Sedes autem corruptelae est in voce *πρῶτον*, quae difficultates omnes movet, et in hac ipsa variant libri MS. *πάντων ἐν* Dorv. testante Porsone, *πάντων τ'* pro *πρῶτον* 4 Dobr. His autem nihil efficimus, at vero unius litterae additione omnem difficultatem tollas et loco vim suam et acerbissimam poëtae irrisionem restituas. Scribendum enim:

ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρωκτὸν ἐν ποιηταῖς,
ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν.

Deprecamur autem Manes sanctissimi et celsissimi poëtae, si hanc sophisticam corruptae juventutis petulantiam, qua magnum ejus nomen praeciderunt, velut ex somno atque oblivione excitamus. Sed quid faciat criticus, cujus officium est lucem dare obscuris et nebulas dispellere, quidquid monstri post eas lateat? Res autem manifesta. Nam quae subjungit praedicata, nunc demum clara sunt, patet enim quo consilio et quam spurca ambiguitate dicat poëtam ψόφου πλέων, ἀξύστατον στόμφακα, κρημνοποιόν. Adde indignationem patris simul cum impudentia filii per gradus auctam: Simonidem hic malum poëtam appellat, ille indignatur, post Aeschylus podex inter poëtas audit, et senex vix iram continet, tandem ex Euripide canit ῥῆσιν incestam adolescentulus et jam in opprobria prorumpit pater, remque ad verbera deducit. Nihil quidem si artem spectes, his melius fingi potest, nihil etiam infestius in ipsum Euripidem, ita quidem ut contumelia in Aeschylum effectu simul diluatur. Apertum enim, quo prorumpat petulantia juvenum, qui Aeschylum conculcant, Euripidem demirantur.

Juvat hic memoriam repetere egregiorum trium virorum, qui jam non magnis intervallis ad patres et ad priscos sapientiae atque artis heroes commigrarunt, Ilgenii, Buttmanni, Adolphi Langii. Ilgenius et Langius, quibus adolescentulus Portae alumnus praeceptoribus, postea vero dum vivebant amicis carissimis usus sum, me ante duodecim fere annos hospitio exceperant, cum Portam venissem, ut jucundissima juventutis meae incunabula et dilectissimos praeceptores viserem. Casu ascidit, ut eodem tempore Buttmannus ibi cum Langio suo moraretur, vividus ingenio et dives, et qui juvenili fere hilaritate ingeniosam Langii sed moderatam sapientiam et antiquam Ilgenii gravitatem egregie temperaret. Quae tum de priscis viris et litteris at vero etiam de nostri aevi hominibus et vitae quotidianae rebus jucundissimae confabulationes, qui lusus modo ad mensam hospitalem modo in vineis, in agris, in convallibus, in montibus, cultu ac varietate amoenis, ac non raro ad multam noctem usque producti! Memini tum

cum post mensam Ilgenianam id est paulo copiosiorem ad pocula sederemus et generosa vini indoles ingeniorum venam augeret atque recluderet, Buttmannum ut δειπνοσοφιστάς ironia, qua pollebat, perstringeret, nos ad joculare certamen de locis veterum corruptis provocare ea conditione, ut res ab hilaritate convivii non abhorreret. Tunc Ilgenius ingens Bibliorum hebraicorum volumen attulit et asseveravit, se non prius abscessurum quam nobis sententiam suam de Danielis Septimanis probasset. Horruit Buttmannus, nos risimus cum Ilgenio et post hilares altercationes in eo convenimus, ut non de Daniele sed de Aristophane quaestio omnis institui deberet. Allatum est spissum Kusteri volumen et inter pocula positum. Hic ego tanquam junior a reliquis jussus scenam aperire, agere coepi de loco, quem modo tractavimus et tandem ad conjecturam quam exposui delatus sum. Exclamat Ilgenius, manes Aristophanis ea violari, dubitavit Langius; sed Buttmannus: Euge! inquit, bonum hoc et Aristophane dignum! Itaque conditionem tibi propono hanc. Decem habeo de locis Aristophaneis conjecturas mirabiles nimirum et cum arte factas. Has tibi omnes elargiri et tuas facere volo, si de hac tua cedas ejusque possessionem mihi relinquas. Hinc nova convivarum hilaritas et Godofredi Hermanni quem omnes demirabamur et amabamus recordatio, qui et ipse aliquando conjecturam, quam fecerat non quidem commutaverat, sed dono dederat expetenti eam uni ex notioribus logis, sed oblitus doni data occasione tamquam suam publicaverat. Ille tum per litteras queri et Hermannum incusare quod promisso non stetisset. Hic contra: „Fateor me peccasse; sed quid faciamus, ut culpa luatur? Si vis publice declarabo, hanc conjecturam a me tibi esse concessam ac dono datam, nec quidquam mihi in eam juris relictum". Intellexit tum alter ille, in quo ejus existimatio periclitaretur. Tacuit igitur et res in hoc promisso constitit. His atque similibus confabulationibus tum satis amplam noctis partem produximus. Ac meae quidem illius temporis recordationi jucundissimae dolor et

cogitatio rerum humanarum miscetur. Quot enim sunt anni, ex quo haec acta sunt, et e quatuor illis convivis solus ego superstes sum, senior et ipse factus. Atvero manet aeterna illa ingenii humani juventas, quam in veterum scriptis admiramur, et continuo succrescit nobis juvenum cohors vegeta animo et his immortalibus scriptis et ex parte etiam curis nostris enutrita, quae post fata nostra superstes erit et humanitatis studia contra ingruentem saeculi barbariam defendet.

EPIMETRUM PRIUS.

His duobus locis paullo uberius expositis, juvabit alios nonnullos Nubium succinctius tractare.

Vers. 1, 2.

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον
ἀπέραντον· οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;

Ὅσον non est pro *ὡς* positum ut voluit Ernestius, nec separandum ab *ἀπέραντον*, ut interpretes Ernestio posteriores fecere fere omnes, dubitante solo Hermanno in nuperrima editione et jure quidem, *ὅσον* enim vim suam servat et *ὅσον ἀπέραντον* eodem modo ponitur, quo *ὅσον ἀτιμότατος* Iliad. A, 516 *ἢ ἀπόειπ᾽ ... ὄφρ᾽ εὖ εἰδῶ Ὅσσον ἐγὼ μετὰ πᾶσιν ἀτιμοτάτη θεός εἰμι.* — Non debebant autem ad separationem excusandam afferri loci, qualis est *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν κόπων ὅσον* Ran. 1276, nec scriptores qui nostrum locum ita citant, ut ad *ὅσον* subsistant, ut fecit Reisigius in Praef. ad Nub. XXXII. quibus ille, ingenio fervidior et non raro inconsideratior, rem confectam putabat. Nam recte se habet *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ χρῆμα τῶν κόπων ὅσον*, et versus noster *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ χρῆμα*

τῶν νυκτῶν ὅσον sensum per se constituit. Itaque separatim potuit commemorari a scriptoribus sequentium incuriosis et qui ea tantum e vetustis exemplaribus promunt, quae rei suae conveniunt. Quin in proverbium vel formulam solemnem abire potuit hic versus, quod factum esse testatur Themistius in Paraphrasi in Aristot. Physic. p. 45 Ald. At vero in ipso Aristophanis contextu secerni non potest a sequenti, nisi ipsam orationis compaginem rumpere et ea inferre velis, quae tam abrupta a nullo cultioris styli artifice, nedum ab Aristophane unquam dicta sunt.

Vers. 79.

Πῶς δῆτ' ἂν ἥδιστ' αὐτὸν ἐπεγείραιμι; πῶς;

Concinnius et magis ad naturam interrogationis continuatae scribas: *Πῶς δῆτ' ἂν ἥδιστ' αὐτὸν ἐπεγείραιμ'; ὅπως;* cf. *'Ατὰρ τὸ λοιπὸν πῶς με χρὴ καλεῖν; Στρεψ. ὅπως; Τὴν καρδόπην* Nubb. 673. — *Πῶς ἂν καλέσειας ἐντυχὼν 'Αμυνίᾳ; Στρεψ. ὅπως ἄν; ὡδὶ δεῦρο, δεῦρ' 'Αμυνία.* Ibid. 685, et pro vulgato, *Στρεψ. πῶς δὴ φέρε Σωκρ. πῶς; ἀλεκτρυὼν καλεκτρυών* ex Hermanni ratione *πῶς δὴ φέρ' Σωκρ. ὅπως*, confirmata uno codice Dobraei, sed signo interrogandi post *ὅπως* addito. — *Πῶς δὴ τριήρης ἐστὶ κυναλώπηξ; Αλ. ὅπως; ὅτι ἡ τριήρης ἐστὶ χὡ κύων ταχύ.* Equit. 1068. — *"Οτι οὐδ' ἂν εἷς θύσειεν ἀνθρώπων ἔτι . . . Πλοῦτ. Πῶς; Χρεμ. ὅπως; οὐκ ἔσθ' ὅπως ὠνήσεται δήπουθεν* Plut. 139. Patet altera interrogatione inchoari responsionem intellecto *ἐρωτᾷς*, aut simili vocabulo, nostri autem loci rationem esse eandem. Nam in hoc soliloquio Strepsiades duplicem personam interrogantis sibique ipsi respondentis agit. — In vicinia parva res impedita est, sed notatu non indigna. Nempe vers. 84 *μή μοί γε τοῦτον μηδαμῶς τὸν "Ιππιον*, ubi Hermannus *μὴ 'μοί γε;* sed non pronomen hic tonum habet, verum negatio relata ad verbum

εἰπὲ ex vers. 82 εἰπέ μοι φιλεῖς ἐμέ, ubi non melius Brunckius εἰπ' ἐμοί. Particula γε et hic intensiva est et ita posita, ut verbum intelligendum esse moneat, cf. Μήπω γε μήπω γ' v. 195 scil. εἰσίτωσαν ex praeced. ἀλλ' εἴσιθ' ἵνα μὴ κεῖνος ὑμῖν ἐπιτύχῃ. Vers. 269 μήπω, μήπω γε, πρὶν ἂν τουτὶ πτύξωμαι, et addito μοί in verbis μή μοί γε λέγειν γνώμας μεγάλας scil. δότε, ubi non melius nuperrimi μὴ 'μοί γε scripserunt.

Vers. 264.

ὦ δέσποτ' ἄναξ ἀμέτρητ' Ἀήρ, ὃς ἔχεις τὴν γῆν μετέωρον κ. τ. λ.

Ad doctrinam physiologorum, quae hic traducitur, illustrandam conferas fragmentum Democriti ap. Clement. Alex. Stromm. p. 598 B. Ἤδη δὲ ὡς εἰπεῖν, ὑπ' αὐγὰς ὁ Δημόκριτος εἶναί τινας ὀλίγους γράφει τῶν ἀνθρώπων, οἱ δὴ ἀνατείνοντες τὰς χεῖρας ἐνταῦθα* ὃν νῦν ἠέρα καλέομεν οἱ Ἕλληνες, πάντα Ζεὺς μυθέεται* καὶ πάνθ' οὗτος οἶδε καὶ διδοῖ καὶ ἀφαιρέεται, καὶ βασιλεὺς οὗτος τῶν πάντων.

Vers. 325.

ὡς οὐ καθορῶ. Σωκρ. παρὰ τὴν εἴσοδον. Στρεψ. ἤδη νυνὶ μόλις οὕτως.

Ita Hermannus conflata lectione e Ravennate ἤδη νῦν μόλις οὕτως et e Veneto ἤδη νυνὶ μόλις ὁρῶ. Οὕτως ni fallor e glossa superest tanquam index diversae lectionis. Unice verum, quod Cod. Mutinensis exhibet a Bekkero collatus ἤδη νῦν καὶ μόλις ἀθρῶ.

Extitit sane Reisigius, qui contenderet *νῦν ἤδη* quidem graecum esse, non vero *ἤδη νῦν*. Nimirum erit aliquando, qui docebit Germanice jetzo fürwahr quidem dici, non item fürwahr jetzo.

Vers. 340.

Εἴπερ Νεφέλαι γ' εἰσὶν ἀληθῶς, θνηταῖς εἴξασι γυναιξίν. —

Εἴξασι pro *ἐοίκασι* vox est hybrida quamvis lecta a Grammaticis in libris Platonis, Aristophanis, all. At vero non constitisse sibi lectionem glossa monstrat Timaei: *Εἴξασι καὶ εἴκασι λέγει (ὁ Πλάτων) ἀντὶ τοῦ ἐοίκασιν.* Manifestum autem est, Platonem, siquidem *εἴκασι* dixit, non item *εἴξασι* dicere potuisse. *Εἴκασι* autem analogiam habet ad *εἰκώς*, quod atticum esse omnes norunt, ut *ἐοίκασι* ad *ἐοικώς*, *εἴξασι* vero nullam. Male enim Buttmannus Gramm. ampl. I. p. 372 *εἴξασιν* et *ἴσασιν* componit, judicans *ἴσασιν* ex *ἴδσασι* ortum. Sed perfectum *ἴδα* non occurrit et a Buttmanno fictum est, ut formae *ἴσασι* supponeretur. Non dubium vero est Σ in *ἴσασι* ad radicem pertinere, ex qua nostra quoque wissen, weise provenere. Pejus etiam Etymol. M. in voce *εἴκω*, qui ad Boeotorum analogiam confugit, quamvis dubitanter: *ὅπερ ἴσως τῇ Βοιωτῶν διαλέκτῳ ἐσχημάτισται.* Nihil enim tale de Boeotorum dialecto traditur, et quod ipse affert *οἱ δ' ἶξον κοιλὴν Λακεδαίμονα* monstrat, eum diversa miscuisse. Puto autem *εἴξασι* vitio eorum, quibus *εἴκασι* tenuior forma videretur, in vetustos atticorum libros irrepsisse, quibus grammatici usi sunt. Veram lectionem hoc loco sistit unus codex Dobraei et fragmentum Cratini apud Hesych. voc. *ἀΐδρυτον*.

Vers. 374.

Σω. Αὗται βροντῶσι κυλινδόμεναι Στρεψ. τῷ τρόπῳ, ὦ πάντα σὺ τολμῶν;
Σωκρ. ὅταν ἐμπλησθῶσ᾽ ὕδατος πολλοῦ κἀναγκασθῶσι φέρεσθαι,
Κατακρημνάμεναι πλήρεις ὄμβρου δι᾽ ἀνάγκην, εἶτα βαρεῖαι
Εἰς ἀλλήλας ἐμπίπτουσαι ῥήγνυνται καὶ παταγοῦσιν.

Non procedit constructio, quippe quae ex κἀναγκασθῶσι φέρεσθαι in εἶτα ῥήγνυνται transeat. Senserunt hoc librarii et, ut loco succurrerent, lectionem corruperunt, exhibentes κᾆτα κρημνάμεναι et alia contra metrum. Nec ἀναγκασθῶσι . . . . ὑπ᾽ ἀνάγκης eodem ordine posita ferri possunt. Στιγμὴ ponenda est post κἀναγκασθῶσι φέρεσθαι. Jam sequentia ἐπεξήγησιν constituunt, quae nectendi particulis non indiget, per partes explicatam. Nimirum in thesi est ἀναγκάζονται φέρεσθαι, in epexegesi: κατακρημνάμεναι ὑπ᾽ ἀνάγκης et εἰς ἀλλήλας ἐμπίπτουσαι. Κατακρημνάμεναι autem non potest esse κρεμάμεναι ἐκ τοῦ ἀέρος, quod vult Scholiasta, et probant recentiores interpretes. Est enim a voce κρημνός et significat declinare, in declive ferri. Id faciunt δι᾽ ἀνάγκην, quia sunt πλήρεις ὄμβρου. Jam pondere suo gravatae, βαρεῖαι, obque id ipsum ἐπ᾽ ἀλλήλας ἐμπίπτουσαι ῥήγνυνται καὶ παταγοῦσι. Est hoc ex physicorum, inprimis vero ex Democriti schola, qui docebat πάντα κατ᾽ ἀνάγκην γίνεσθαι, τῆς δίνης αἰτίας οὔσης τῆς γενέσεως πάντων, ἣν ἀνάγκην λέγει Diog. L. IX. c. VII. n. 12.

Vers. 421.

Οὕνεκα τούτων ἐπιχαλκεύειν παρέχοιμ᾽ ἄν.

Scribendum τούτων μ' ἐπιχαλκεύειν, ni intelligas γαστέρα ex praecedentibus.

Vers. 428.

Ὦ δέσποιναι, δέομαι τοίνυν ὑμῶν τουτὶ πάνυ μικρὸν,
Τῶν Ἑλλήνων εἶναί με λέγειν ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστον.

Videtur hoc de ambitu urbis Athenarum intelligendum, ut dicat, se in tota urbe velle disertissimum fieri, et hoc ei pollicentur Nubes: ἀλλ' ἔσται σοι τοῦτο παρ' ἡμῶν· ὥστε τὸ λοιπόν γ' ἀπὸ τουδὶ Ἐν τῷ δήμῳ γνώμας οὐδεὶς νικήσει πλείονας ἢ σύ. Στρεψ. Μή μοί γε λέγειν γνώμας μεγάλας· οὐ γὰρ τούτων ἐπιθυμῶ. Sed aliquid in his laborat. Nihil περὶ μεγάλων γνωμῶν Chorus, nec omnes caussae ἐν τῷ δήμῳ dictae magnae nominari possunt. Non poterat igitur μεγάλας γνώμας i. e. caussas publicas et de rebus publicis, de pace e. c. atque bello, de foederibus all. deprecari Strepsiades. Hoc autem facit et ita quidem, ut in praecedentibus de eis sermonem fuisse appareat. Apparet autem μεγάλας in libro Mutinensi. Sed quid jam versui fiet? Nempe Ravennas habet πλέον pro πλείονας, quo recepto et νικᾷ scripto pro νικήσει, locus sic ordinandus erit: ὥστε τὸ λοιπόν γ' ἀπὸ τουδὶ Ἐν τῷ δήμῳ γνώμας μεγάλας οὐδεὶς νικᾷ πλέον ἢ σύ. Nempe τὸ λοιπὸν νικᾷ idem est quod νικήσει. Porsonus servato πλείονας, ejectis ἢ σύ et transposito οὐδείς locum, ni fallor, nimis violenter tractaverat scribens ἐν τῷ δήμῳ γνώμας μεγάλας νικήσει πλείονας οὐδείς.

Vers. 787.

Στρεψ. ἀλλ' ἔστ' ἔμοιγ' υἱὸς καλός τε κἀγαθός

'Αλλ' οὐκ ἐθέλει γὰρ μανθάνειν· τί δ' ἐγὼ πάθω;
Χορ. Σὺ δ' ἐπιτρέπεις; Στρεψ. εὐσωματεῖ γὰρ καὶ σφριγᾷ.

Codices Bekkeri habent *ἔστι μοι*, Rav. *ἔσται μοι*. Contra *ἐστ' ἔμοιγ'* jam Aldina exhibet, quod non temere probandum. Sibi opponuntur *ἐστί* et *ἔστι* non *ἔστι* et *ἔστι* in phrasibus *εἴ σοί τις υἱός ἔστι* v. 785 in qua et Hermannus enclisin pronominis servavit, et *ἀλλ' ἔστι μοι* 787, quarum vocum prior tonum habet eoque recte accentum retrahit, *μοί* autem sine tono eadem ratione subjungitur qua *σοί* antea praemittebatur. Offendit vero grammaticos *γε* pronomini subjectum. Hoc autem non ad *μοί* pertinet, sed ad asseverationem *ἀλλ' ἔστι* eique augendae inservit. Cf. similia quae ad Vers. 84 posui. At in reliquis quoque aliquid luxatum. Nam verba *τί δ' ἐγὼ πάθω;* sine ratione verbis *οὐκ ἐθέλει γὰρ μανθάνειν* subjunguntur. Istis enim positis non erat amplius quare interrogaret Chorus *σὺ δ' ἐπιτρέπεις*. Id enim jam verbis *τί δ' ἐγὼ πάθω* si non dictum, tamen intellectum erat. — Variant libri in *τί δ' ἐγὼ πάθω;* Ravennas *ἴτ ἐγώ*, Mutinensis *τί 'γὼ πάθω;* Brunckianus C. *τί δ' ἐγὼ πάθω;* Reizius scripserat *τί γὰρ πάθω;* Locus, ni fallor, ita disponendus. *Στρεψ.*:

'Αλλ' οὐκ ἐθέλει γὰρ μανθάνειν. Χορ. σὺ δ' ἐπιτρέπεις;
Στρεψ. τί δὴ πάθω γ'; εὐσωματεῖ γὰρ καὶ σφριγᾷ.

Patet sic commata dialogi justo ordine procedere: „At vero non vult discere. Chor. Ac tu quidem id ei permittis? Streps. Quid vero mihi contingat? (si scil. eum vi compellam). Est nimirum corpore robusto et viribus exuberans". Nempe timet, quod deinde accidit, ne si ad verbera res venerit, ipse misere accipiatur a filio robusto et irae impotenti.

Vers. 901.

Ἄδικος λόγος. οὐδὲ γὰρ εἶναι
πάνυ φημὶ δίκην. Δίκαιος. οὐκ εἶναι φής;
Α. φέρε γὰρ, ποῦ 'στιν;
Δ. παρὰ τοῖσι θεοῖς.
Α. πῶς δῆτα δίκης οὔσης ὁ Ζεὺς
οὐκ ἀπόλωλεν, τὸν πατέρ' αὑτοῦ
δήσας; Δ. αἰβοῖ· τουτὶ καὶ δὴ
Χωρεῖ τὸ κακόν· δότε μοι λεκάνην.

Ad sensum verborum Δίκη παρὰ τοῖς θεοῖς conferri potest Δίκη σύνεδρος Ζηνὸς Soph. Oed. Col. 1378. In verbis τουτὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν est aliquid incommodi. Nam voculae καὶ δὴ non possunt in media oratione poni. Sensit hoc Duckerus et scribendum judicavit τουτὶ ποῖ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν; Sed transpositis voculis legendum καὶ δὴ τουτὶ χωρεῖ τὸ κακόν et hoc situ vocabulorum recurrit phrasis in Ranis 1018, ubi post verborum et armorum strepitum, quo Aeschylus Bacchi animum obfuscaverat, ita dicit Bacchus: Καὶ δὴ χωρεῖ τουτὶ τὸ κακὸν, κρανοποιῶν αὖ μ' ἐπιτρίψει. Post δότε μοι λεκάνην Suid. v. δότε et Etym. M. v. ἐμῶ addunt ἵν' ἐξεμέσω. Scribendum hoc esset ἵν' ἂν ἐξεμέσω ob metrum: pelvis in quam vomam, ἵνα sensu relativo adhibito. Melius tamen omittuntur verba, quippe explicandi caussa addita. Nemo enim spectatorum ignorabat, quid sibi cum pelvi vellet senex, ad nauseam a procaci juvene actus. Nimirum apertum est, ipsos λόγους δίκαιον καὶ ἄδικον personas agere, quibus priscum tempus et recens erant repraesentata. Alter senior, qui ab Injusto τυφογέρων dicitur, antiquis moribus, ἀρχαῖος, prisca habitus austeritate conspicuus, ob quod audit αὐχμεῖς αἰσχρῶς, et ingenio simplici, quare ἀνάρμοστος ab adversario dicitur i. e. mentis non jam sat compos, alter vero juvenis impudentia conspicuus καταπύγων κ' ἀναίσχυντος, modo m e n d i c u s, nunc autem in rebus

lautis constitutus: *σὺ δέ γ' εὖ πράττεις, καίτοι πρότερόν γ' ἐπτώχευες* et qui lubidinum lue adolescentulos inficiat: *λυμαινόμενον τοῖς μειρακίοις*. Haec igitur priscorum et novitiorum morum *πρόσωπα* ficta ni fallor sunt ratione habita celeberrimae Prodici Allegoriae, qua *Ἀρετή* et *Κακία* mulierculárum habitu Herculi in bivio sese obtulisse narrantur ap. Xenoph. *Ἀπομνημ. Σ.* I. 20. Atque eam quidem narrationem non sine fructu cum nostro dialogo conferas. Quod *Λόγους* personas istas appellavit Aristophanes, sumsit haud dubie ex Protagorae disciplina, ex qua haec omnis de duplici *λόγῳ* doctrina fluxit. *Πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις*. Diog. Laert. in ej. Vit. §. 7. Hoc *ἀντικείμενον* si erat *περὶ τῆς δίκης*, erant illi *λόγοι δίκαιος* i. e. *ὑπὲρ τοῦ δικαίου* et *ἄδικος* i. e. *ὑπὲρ τοῦ ἀδίκου*, ille *κρείττων* hic *ἥττων* ob interiorem justi injustique naturam, ars autem Sophistae erat *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* i. e. ita loqui, ut *ἄδικος λόγος πιθανώτερος* videretur et vinceret. Cf. Plato. Euthyd. init. *οὕτω δεινοὶ γεγόνασιν* (*οἱ σοφισταὶ*) *ἐν τοῖς λόγοις μάχεσθαί τε καὶ ἐξελέγχειν τὸ ἀεὶ λεγόμενον ὁμοίως ἐάν τε ψεῦδος ἐάν τ' ἀληθὲς ᾖ*. Hujus duplicis *λόγου* fama exierat in vulgus tanquam arcani alicujus, in quo omnis Sophistarum ars niteretur: Nubb. v. 112 *εἶναι παρ' αὐτοῖς φασὶν ἄμφω τὼ λόγω Τὸν κρείττον' ὅστις ἐστὶ καὶ τὸν ἥττονα. Τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν τὸν ἥττονα Νικᾷν λέγοντα φασὶ τἀδικώτερα.* Nec mirum, si Aristophanes prisci et recentioris aevi personas effingere vellet, cum hos ipsos *λόγους* personatos in scenam produxisse, quod in eorum diversitate diversitas temporum spectabatur, quam ipsam suis verbis explicare illi debebant.

Vers. 987.

Σὺ δὲ τοὺς νῦν εὐθὺς ἐν ἱματίοις προδιδάσκεις ἐντετυλίχθαι,

Ὥστε μ' ἀπάγχεσθ', ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις δέον αὐτούς,
Τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων ἀμελῇ τῆς Τριτογενείας.

Locus et a structura et a sensu laborat. Hermannus ut anacoluthon dictionis, e transitu pluralis in singularem natum, defendat, affert vers. 975 *τὸν μηρὸν ἔδει προβαλέσθαι Τοὺς παῖδας ὅπως τοῖς ἔξωθεν μηδὲν δείξειαν ἀπηνές. Εἶτ' οὖ πάλιν αὖθις ἀνιστάμενον ξυμψῆσαι καὶ προνοεῖσθαι.* Sed hoc in loco a vocula *εἶτα* nova structura incipit et *ἀνιστάμενον* in universum et ita ponitur, ut non amplius respiciamus ad *παῖδας*. Quapropter non opus est ibi *ἀνισταμένους* e libris revocare, quod Hermannus recte tanquam ex interpolatione natum expulit. Nostro autem loco uterque versus uno constructionis ordine conjungitur atque ita constringitur, ut cum in priore membro *δέον αὐτοὺς* ponatur in posteriore *προέχων ἀμελῇ* dici non possit, nisi *ἀμέλει τῆς γραμματικῆς*. Pro *προέχων προέχει σ'* in Vet. inventum refert Scaliger, qua lectione via munitur ad *προέχωσ'*, jam a Bentlejo propositum. Accedit libri Ravennatis auctoritas, qui *ἀμέλει* pro *ἀμελῇ* exhibet. Hoc utroque conjuncto scribendum videtur: *τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχωσ' ἀμέλει τῆς Τριτογενείας*. Corruptela orta videtur ex eo, quod *ἀμέλει* adverbii loco positum cum Genitivo strueretur. Haec enim structura, quamvis legitima si vim *ἀμέλει* respicias, tamen ni fallor hoc uno loco occurrit, quia scilicet solus hic locus *ἀμέλει* cum substantivo copulatum habet. Sensus: ubi eis in Panathenaeis saltatio instituenda *δέον αὐτοὺς κ. τ. λ.*, clypeum coram membro tenent nullo Tritogeniae respectu habito. Non minor autem difficultas in sensu est. Quod enim hoc genus saltationis? quo habitu actum? quae ejus ad Minervam ratio? et quando, si verenda clypeo tegebant, reverentiam deae virgini habendam violare culpantur? Cogitat Meursius in Panath. c. 12 de Pyrrhicha, statuens eam pueros saltasse nudos, et Welckerus putat, verenda eos texisse, quod nuditati non jam essent adsueti. Sed

in Panathenaeis quantum scio pyrrhichae nullus locus. Nec de pueris sed de adolescentulis sermo, qui quidem si nudi saltaverint, vix de verecundia illa cogitari possit, non quod subligaculo fuisse cinctos credibile sit, quae est Hermanni opinio, sed quia tum morem inter omnes Graeciae populos repertum sequuti essent. Nam in his institutis valet illud quod Cicero dicit, Graecorum rem esse nihil velare, et in Gymnasiis, Gymnopaediis, festis agonisticis jam dudum subligaculi usus desierat. Quod autem ad verecundiam attinet, Hermannus Welckerum ad v. 977 remittit, ubi mos isti verecundiae contrarius exponitur. — Sed ad rem veniamus. Primarium, quod agit hoc loco Aristophanes, in eo est, ut debilitatem et mollitiem ex ἀγυμνασίᾳ juventutis ortam describat. Atque haec quidem effeminatio a primis puerorum annis incipiebat: σὺ δὲ τοὺς νῦν εὐθὺς ἐν ἱματίοις προδιδάσκεις ἐντετυλίχθαι, quod Ernestius de ampla veste intelligit, Salmasius ad Tertull. Pall. p. 399 de duplici. Nempe tunicam χιτῶνα, χιτωνίσκον ferebant veteres et supra eam pallium εἶμα, ἱμάτιον, pueri autem antiquitus solam tunicam et in nudo quidem corpore, cingulo infra pectus constrictam eamque breviorem, ut genua tantum attingeret, manicae autem ne in ulnas quidem pertinerent, cetera, pedes, collum nuda, simul pectus apertum nec calceorum usus in ea aetate receptus. Tam leviter tecti, id est γυμνοί, et vel aëris intemperiei expositi (v. 665) durabant ad pubertatem. Tum graviores palaestrae labores, lucta, pugilatus nuda adolescentulorum corpora oleo atque pulvere obducta inter sudores et anhelitus et aperti solis radios ad robur juventutis et virile decus conformabant. Hanc Μαραθωνομάχων consuetudinem tum recens usus et elegantioris vitae consuetudo jam infregerat. Delicatae puerorum aetati prospicientes scilicet parentes supra tunicam pallio eos involvere properabant, quo omnis obduratio ad labores praecidebatur, hocque istud est, quod queritur antiqui moris defensor verbis supra positis. Nec jam mirum, si ad adolescentulorum annos provecti sudorem et solem palaestrae declinabant et in balneis delitescebant: Ταῦτ᾽ ἐστι ταῦτ᾽ ἐκεῖνα (leg. ταὔτ᾽ ἐκεῖνα)

Ἃ τῶν νεανίσκων ἀεὶ δι' ἡμέρας λαλούντων Πλῆρες τὸ βαλανεῖον ποιεῖ, κενὰς δὲ τὰς παλαίστρας. Vers. 1053. Ex hoc autem mollioris vitae cultu sequebatur, ut adolescentuli viribus debilitati antiquos in armis gerendis mores ne in pompis quidem servare possent. Hic sensus verborum *ὥστε μ' ἀπάγχεσθαι κ. τ. λ.* Fundus explicationis locus Thucydidis est VI. 56 de Panathenaeorum pompa, in qua Hipparchus interfectus est ab Harmodio et Aristogitone. Ex hoc enim patet, armatos fuisse juvenes, *ἔχοντας ὅπλα*, qui eam ducerent, quae res accuratius exhibetur c. 58 *μετὰ γὰρ ἀσπίδος καὶ δόρατος εἰώθεσαν τὰς πομπὰς ποιεῖν.* In hac pompa ad diversos locos, aras inprimis, consistere et circa eas *ἐμμελῆ ὄρχησιν* facere solebant, quae in eo constabat, ut sedatis motibus circa aram verterentur. Hoc est *ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις* et cum armis quidem, nimirum clypeo et hasta. Clypeus autem utpote a brachio laevo suspensus ad latus laevum gestari debebat. Jam necesse erat, ut lacerti imbecillium adolescentulorum libero hoc ejus gestamine gravarentur, in primis si saltationis quamvis sedatioris motus accederent. Hinc patet quare *τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προεῖχον.* Nimirum clypeo cum brachio ad pectus applicato onus non solum brachio sed etiam pectore sustentatum fit levius. Haec igitur indecora erat imbecillitatis manifestatio, quae et pristini moris patrono bilem movere *ὥστε μ' ἀπάγχεσθαι* et despectui esse debebat Minervae virgini masculae et bellicosae, cujus festum agebatur. Hinc *ἀμέλει τῆς Τριτογενείας* id faciebant.

Vers. 1191.

Ἐκεῖνος οὖν τὴν κλῆσιν εἰς δύ' ἡμέρας
Ἔθηκεν εἴς τε τὴν ἕνην τε καὶ νέαν.

Recte cod. Rav. et Vat. *εἴς γε τὴν ἕνην τε καὶ νέαν* quamvis hoc non admittat Hermannus, qui non dubitavit scribere: *εἴς τε τὴν ἕνην καὶ τὴν*

νέαν. Sed primum *γε* locum suum jure tuetur explicandi caussa additum. In praecedenti dixerat *Ἐκεῖνος οὖν τὴν κλῆσιν εἰς δύ' ἡμέρας Ἔθηκεν* idque accuratius exponit addito *εἴς γε τὴν ἕνην κ. τ. λ.* i. e. nimirum in priscam atque novam. Ac ne poterat quidem dicere *εἰς τὴν ἕνην καὶ τὴν νέαν*, quia hoc non erat neque in usu, neque in lege et legem afferens ipsius legis phrasin formulamque legitimam servare debebat, omnibus notissimam.

Vers. 1174.

Σ. ἵνα δὴ τί τὴν ἕνην προσέθηκεν; Φ. ἵν' ὦ μέλε κ. τ. λ.

Voculae *ἵνα δὴ τί* sine sensu continuantur. Nam aut *ἵνα δὴ* aut *τί* superfluum est. Duplex inest interrogatio eaque distinguenda *ἵνα δή; τί τὴν ἕνην παρέθηκεν;* Ejus rationem exposui primus, quantum scio, in Grammatica §. 351 n. 5. *Ἵνα δή* interogat cum respectu ad praeced. *ἵν' αἱ θέσεις γίγνοιντο*. Si omnem orationis nexum explicare velis, hic est: Quomodo dicere potes, fieri hoc ut nimirum (*ἵνα δή*) pignora deponant novilunio? Quo enim consilio tum novum addidisset diem? Phidipp. Eo nimirum consilio, o stolide, et. — Diversa ratio est vers. 773 *οὐκ ἂν διδαξαίμην σ' ἔτι Στρεψ. ὅτι ἢ τί;* jam veteribus ignorata, cum Suidas v. *τί* hanc voculam isto loco superfluam judicet. Respondere autem debuit Socrates quoniam tu senex es et obliviosus. Hujus responsionis non sensum quidem sed formam praecipit Strepsiades istis voculis *ὅτι ἢ τί;* „quoniam nimirum quid?“ Hermannus tamen et in nuperrima editione eas sine interrogatione praetermisit, Reisigius autem in unam compagem *ὁτιήτι* sane monstrosam voculas coagmentavit. Idem Aristophanis nescio interpres potius an interpolator dicendus finem versus supra positi corruptela affecit, scribendo *προσέθηκεν ὦ μέλε* profecta ex eadem interrogationis ignorantia. In vicinia vers. 1195 *Πῶς οὖν δέχονται* leg. vid. *πῶς δ' οὖν δέχονται*.

Vers. 1230.

Καὶ ταῦτ᾽ ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς,
Ἵν᾽ ἂν κελεύσω ᾽γώ σε; Στρεψ. τοὺς ποίους θεούς;

Omisit Hermannus verba *ἵν᾽ ἂν κελεύσω ᾽γώ σε* cum cod. Ravennate, *τούς* autem cum Vaticano aliisque, et loco versus integri clausulam fecit *ποίους θεούς;* At vero non iners est et inutilis illa sententia, ut ipsi videtur. Non enim Amynias in universum denunciat jurandum fore, sed verbis ab ipso conceptis id est diris et formidolosis. Notum est quid sit praeire verba juris jurandi vel in verba alicujus vel ab aliquo concepta jurare. Ejusmodi juramentum mulierculis proposuit Lysistrata jocosum quidem sed ad rem explicandam tamen idoneum. Ait illa v. 209 *Λάζυσθε πᾶσαι . . . . λεγέτω δ᾽ ὑπὲρ ὑμῶν μί᾽ ἅπερ ἂν κἀγὼ λέγω* (ut nostro loco *ἵν᾽ ἂν κελεύσω ᾽γώ*) *Ὑμεῖς δ᾽ ἐπομεῖσθε ταῦτα κἀμπεδώσετε.* Vix autem Lysistrata juris jurandi verba incepit, cum Myro terrore concussa exclamat 215 *παπαί Ὑπολύεταί μου τὰ γόνατ᾽ ὦ Λυσιστράτη.* Quod vero Hermannus de voce *ἵνα* monet, quae insolenter ad tempus referatur idque ipsum defendi quodam modo posse Homeri exemplo Od. ζ, 27, non poterit admitti. Nam *ἵνα* non tempus hoc loco sed rationem et modum indicat et *ἵν᾽ ἂν* idem est atque *οἵῳ ἂν τρόπῳ κελεύσω ἐγώ*, quem sensum apud Atticos servat in omnibus locis in quibus cum indicativo vel cum vocula *ἄν* jungitur. Conf. Gramm. §. 342 n. 8 Not. et n. 10. Reisigius et hoc loco poëtam interpolavit *ἵν᾽ ἂν* in *ἐάν* mutando.

Vers. 1393.

Οὐ κἀμέ σοι δίκαιόν ἐστιν εὐνοεῖν ὁμοίως
Τύπτοντ᾽, ἐπειδήπερ γε τοῦτ᾽ ἔστ᾽ εὐνοεῖν τὸ τύπτειν;

In hac lectione Hermanno probata offendit junctura particulae *πέρ* et *γέ*, quae simul poni nec memini nec credo, et deest *γέ* in libris optimis, Raven. Venet. Mutinens. Ac Mutinensis quidem *ἐπείπερ* habet, R. et V. *ἐπειδήπερ*. Posterius si probas scribendum cum Porsono *ἐπειδήπερ τόδ' ἐστὶν εὐνοεῖν τὸ τύπτειν*, prius autem si admittis, versus ita constituendus: *ἐπείπερ τοῦτό γ' ἐστιν εὐνοεῖν τὸ τύπτειν*, quod lenius simul et commodius. Nam *γε* non temere quamvis falso loco emergit in quibusdam codicibus et sua vi post *τοῦτο* ponatur: „Si quidem hoc scilicet est bene animatum esse reliq."

Vers. 1397.

Φειδ. Κλαίουσι παῖδες, πατέρα δ' οὐ κλαίειν δοκεῖς;
Στρεψ. τιή δή;
Φειδ. Φήσεις νομίζεσθαι σὺ παιδὸς τοῦτο τοὔργον εἶναι.

Variant MS. in voculis interrogationis loco positis: Ravennas *τίη τί δή* quod emendatius quoad linguam. Omittuntur in Dobraeanis aliisque, quos sequutus Hermannus signa lacunae posuit. Reisigius suo more et hic dictionem poëtae corrupit scribendo *πατέρα δ' οὐ κλάειν τὶ ἤδη:* Interrogari potuit *τίη* vel *τίη δή;* Quare vero? scilicet putem ego patri quoque plorandum esse. Pergit Phidipp. Nempe dices, hoc tantum puerorum esse et. Simili modo injecta haec interrogationis formula inter membra orationis diversae Eqq. 125 *Δημ. ὦ μιαρὲ Παφλαγών, ταῦτ' ἄρ' ἐφυλάττου πάλαι, Τὸν περὶ σεαυτοῦ χρησμὸν ὀρρωδῶν;- Νικ. Τίη; Δημ. Ἐνταῦθ' ἔνεστιν αὐτὸς ὡς ἀπόλλυται.* — Eccles. A. 796. *Θάῤῥει, καταθήσεις, κἂν ἔνης ἔλθης Β τίη; Α Ἐγῷδα τούτους χειροτονοῦντας μὲν ταχύ κ. τ. λ.* Non autem huc referas Vesp. 1155 *Κατάθου γε μέντοι καὶ κρεάγραν. Βδε. τίη τί δή;* neque Pac. 983. *Σφάξεις τὴν οἶν. Τρ. ἀλλ' οὐ θέμις. Οικ. τίη τί δή;* Nam junctura particularum *τί ἤ τι*

δή; nihili est et scrib. ὅτι ἤ τί δή; Eodem ducit et Thesmoph. 83. Εὐρ. Μέλλουσι περί μου σήμερον Ἐκκλησιάζειν ἐπ' ὀλέθρῳ. Μνη. τίη τί δή (scrib. ὁτιή τί δή;) Εὐρ. ὁτιὴ τραγῳδῶ καὶ κακῶς αὐτὰς λέγω. Structuram supra explicavimus. Nostro quoque in loco liber Mutinensis exhibet ὁτιή τί δή, sane syllaba metrum excedente. Omisso τί scribere posses ὁτιή δή; Videt enim Strepsiades, postulari a Phidippide, ut et pater ploret et ut Strepsiades hanc sententiam amplectatur. Jam hujus rei rationem exigit interrogando per ὁτιή et responsionis formam praecipiendo; sed neque ὁτιή δή; sine τί, neque ὁτιή τί; sine δή in interrogatione ponuntur. Igitur in vulgato τιή δή; subsistendum.

AD ACHARNENSES.

Agamus de Acharnensibus eodem, quo de Nubibus modo, ut primum nonnulla uberius tractemus, deinde his alia oratione succincta subjiciamus.

Locus est Acharnensium sane difficilis et conjecturis sollicitatus, nondum vero neque emendatus neque explicatus vers. 588 seqq.

Οἶδέν τις ὑμῶν τἀκβάταν' ἢ τοὺς Χαόνας;
οὔ φασιν· ἀλλ' ὁ Κοισύρας καὶ Λάμαχος,
οἷς ὑπὲρ ἐράνου τε καὶ χρεῶν πρώην ποτὲ
ὥσπερ ἀπόνιπτρον ἐκχέοντες ἑσπέρας
ἅπαντες ἐξίστω παρῄνουν οἱ φίλοι.

Junge οἷς ἅπαντες οἱ φίλοι παρῄνουν (i. e. παραινοῦντες εἶπον) πρώην ποτέ· ἐξίστω i. e. ἐξίστασο decede de loco, sicuti facere solent, qui vespera lavacra ex aedibus in vias profundunt, ὥσπερ . . . ἑσπέρας, ut scilicet casu adstantes aut praetereuntes in via moneant,

ne humescant. Idque amici illi faciebant *ὑπὲρ ἐράνου τε καὶ χρεῶν*. Ac in his quidem, cum de aere alieno sermo sit, jam scholiasta statuit, hoc egisse amicos omnes, ut hominem obaeratum ex rebus suis ejicerent. Id si statuis, *ὑπέρ* locum suum tueri non potest, quippe quod defendendi notionem includit. Sed juvat ipsius scholiastae verba audire: *Τοῦτο δὲ λέγει διασύρων Μεγακλέα καὶ Λάμαχον ὡς πρότερον μὲν πένητας ὄντας, εἶτα ἐξαίφνης πλουτήσαντας ἀπὸ τῆς πόλεως, ὅτι αὐτοῖς οἱ φίλοι χθὲς καὶ πρώην συνεβούλευον καταχρέοις οὖσι ὑπό τε ἐράνων καὶ ὀφλημάτων ἐξίστασθαι τῆς οὐσίας ὡς μὴ δυναμένοις ἀποδῦναι.*

Si revera amici dicebant: „exi ex fortunis tuis" sane id facere non poterant *ὑπὲρ ὀφλημάτων*, sed facere id poterant *ὑπὸ ὀφλημάτων* sive *χρεῶν* nempe moti iis, et apertum est, hac ipsa explicandi ratione ductum esse scholiasten, ut praepositione *ὑπὸ* uteretur. Hinc Elmslejus putat confirmari a scholiasta conjecturam Bentleji *ὑπό* scribentis pro *ὑπέρ*. Cautior Hermannus, qui Elem. R. M. p. 134 dicit aliquod ejus lectionis vestigium erui ex scholiastae verbis. Mira autem quam conmmemorat ibi Hermannus Erfurdtii sententia *ὑπ' ἐράνου* idem esse quod *ὑπὲρ ἐράνου*. Eodem jure dicere possis *ἄνω* idem esse ac *κάτω* et nostra drunter und drüber perinde dici. Sed ipsa Scholiastae explicatio laborat. Nam ut concedamus in tali re Lamachum vel Megaclem compelli potuisse hoc verbo *ἐξίστω*, tamen necessario addendum fuisset *τῆς οὐσίας* vel *οἰκίας* vel simile quid. Is quidem, qui ex aedibus clamantem audit: *ἐξίστω* intelligit sibi decedendum esse de via, sed quomodo qui amicum coram dicentem audit *ἐξίστω* sentiet, sibi de fortunis suis cedendum? Haec a justa dictionis indole absona et absurda sunt. Sensit hoc Hermannus eoque *ὑπὸ χρεῶν ἐξίστω* jungere voluit. Sed *ὑπὸ* tali nexu *ἐνέργειαν* indicat. *Ἐκβάλλεταί τις ὑπὸ χρεῶν* dices, si tibi finges aes alienum id efficere, ut ejiciatur aedibus: *ἐξίσταται ὑπὸ χρεῶν* si passive dicatur idem significat, sed si sensu medio, nihili est. Neç

παρῄνουν aptum esset vocabulum. Non enim in tali re neque hortantur neque monent, ut exeant ex possessionibus, sed eis comminantur eosque ejiciunt. Adde amicos, qui id facere dicantur et quidem omnes amicos. Quid hoc monstri? Num omnes quoscunque habebant amici in eo conjuraverant, ut monerent, ut ex fortunis suis exirent? Patet si istam conjecturam sequaris, sensum non minus perversum esse quam dicendi rationem. Jam attende ad juncturam *ἐράνου τε καὶ χρεῶν*. Ac Reisigius quidem in solo numero offensus non dubitavit *ἐράνων τε καὶ χρεῶν* inducere, ut dictio quadam scripturae aequalitate delectaret: sed quid ipsa haec vox tali situ? Nempe statuunt *ἔρανον* esse pecunias *ἐν ἐράνοις* profusas, quo servato *χρεῶν* explicandi caussa adderetur: „ob *ἐράνους* et aes alienum eis contractum". Sed *ἔρανοι* tam profusam luxuriem excludunt. Sunt enim vel *δεῖπνα ἐκ συνεισφορᾶς* vel *δῶρα ἐκ συνεισφορᾶς*. Donis autem hic nullus locus, coenas vero *ἐκ συνεισφορᾶς* modestas fuisse omnes testantur. Patet igitur in his explicationibus omnia lubrica esse nec quidquam firmo talo consistere. Alia autem non datur, nisi velis artes scholiastae amplecti, qui priori illi expositioni alteram subjungit his verbis: *ἢ τοῖς δανείζουσι παρῄνουν οἱ φίλοι ἐξίστασθαι τοῦ δανείζειν τοῖς τοιούτοις ὀφείλουσιν ἐράνους καὶ χρέη.* Jam igitur *παραίνεσις* illa non ad perditos homines pertineret, sed ad debitores eorum, et hi monerentur ab omnibus amicis ut desisterent a pecunia eis mutuo danda ob hanc causam, quod per *ἐράνους* sua jam decoxerint et obaerati sint. Haec autem velut desperata causa dici apertum est. Nam *οἷς* non nisi ad *τὸν Κοισύρας καὶ Λάμαχον* qui praecedunt referri potest. Horum igitur utrumque hoc verbo *ἐξίστω* compellant, non debitores eorum. *Ὑπέρ* autem quid significet, id quidem una significatione praepositionis super continetur, quacum vel etymon commune habet. Videndum igitur ante omnia quid sincerum in his verbis. Nempe *ἔρανος* ut monuimus fiebat ex amicorum collatione, notus jam Homero et ab eo a reliquis comessationibus ob modestiam victus in ipso

vigentem distinctus Od. α. 225. *Τίς δαὶς, τίς δὲ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο; τίπτε δέ σε χρεώ; Εἰλαπίνη ἠὲ γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστί· Ὥστε μοι ὑβρίζοντες ὑπερφιάλως δοκέουσιν Δαίνυσθαι κατὰ δῶμα· νεμεσσήσαιτό κεν ἀνὴρ Αἴσχεα πόλλ' ὁρόων, ὅστις πινυτός γε μετέλθοι.* Egregie ad rem nostram ibi Eustathius: *Τοῖς ἀτάκτως μεθ' ὕβρεως εὐωχουμένοις καὶ πολυτελῶς ἐπιλεχθήσεται ἂν τὸ τίς δαίς; τίς δὲ ὅμιλος ὅδε κ. τ. λ. Ἰστέον δὲ ὅτι κατὰ τρεῖς μάλιστα τρόπους συνέλθοιεν ἂν πολλοὶ ἐπὶ εὐωχίᾳ, ἤγουν ἐν εἰλαπίνῃ, ἐν γάμῳ καὶ ἐν ἐράνῳ. Καὶ ὁ μὲν ἔρανος κόσμιον καὶ οὐδὲν πολυτελές, ἀλλὰ καὶ φειδωλῶς ἤσθιον ὡς τὰ πολλὰ οἱ ἐρανισονταὶ, ὡς ἂν ἴδιον ἐσθίτες ἕκαστος.* Hoc non ita intelligendum, ut quisque cibum a se ipso allatum comederit. Poterat *ἔρανος* collatis pecuniis et cibis inde coemtis, poterat et ciborum partibus vel generibus ab eranistis collatis ad coenam institui *ἀπὸ κοινοῦ.* Hoc sensu et reliqua apud Eustathium dicuntur *Ἔστι δὲ ἔρανος ἡ ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς ἤγουν καταβολῆς καὶ δαπάνης πολλῶν τινων εὐωχία, ὡς καὶ Ἡσίοδος* (*E.* 20) *Ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη τ' ὀλιγίστη.* Eadem fere quae Eust. sed verbis diversis schol. Ambros. Altero loco, quo apud Homerum occurrit, est quidem inter res sumtuosas positus Od. λ 413. *Νωλεμέως κτείνοντο σύες ὡς ἀργιόδοντες Οἵ ῥά τ' ἐν ἀφνειοῦ ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο Ἢ γάμῳ ἢ ἐράνῳ ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίᾳ;* At vero hic inter divites et reges res agitur non vero inter cives Athenienses. Haec autem si erat ratio *ἐράνου* facile patet, nullum inter *ἐρανιστὰς* locum fuisse his, qui nihil contulerant. Atque hi quidem *ἄλογοι* dicebantur: *Λέξ. ῥητ.* ap. Bekk. Anecd. gr. T. I. p. 203. *Ἄλογοί τινες λέγονται οἱ μήπω ἀνηρημένοι τὸν ἔρανον ἐρανισταὶ, οἱ μὴ καταθέμενοι τοῦ ἐράνου τὴν καταβολὴν οἷς οὐδεὶς ἔστι λόγος πρὸς τὸ μὴ ὀφείλειν.* Apertum est postrema verba *οἷς ... ὀφείλειν* nihili esse. Quomodo enim *ἄλογος* dici possit, qui non cogitet, id est, non curet, quid debeat? Igitur apertum est *ἀλόγους* dictos, quorum nulla ratio habebatur, qui nihil ad *ἔρανον* contulerunt. His ita expositis patebit, quo vergat loci nostri sententia. Nempe *ἔρανος* instituitur,

nihil ad eum contulerant ὁ Κοισύρας καὶ Λάμαχος quippe tunc temporis pauperrimi. Hi tamen ad coenam accedunt eranistarum, nempe ἄλογοι, sed ob hoc ipsum male excipiuntur. Eis clamant s e c e d e, sicut qui ἀπόνιπτρα profundunt. In his igitur omnia aperta, Aristophanis ingenio digna. Simul patet quare ὑπὲρ ἐράνου dicatur. Nempe ἐρανισταὶ mensam suam a famelicis istis defendebant: Erat igitur ista cohortatio et exprobratio p r o c o n v i v i o instituta. Nec ambiguum quidem, quomodo o m n e s hic a m i c i commemorari possint. Nempe ad hominum ignotorum ἔρανον ne ausi quidem fuissent accedere, contra tentare poterant conventus hominum, quibus in vita communi familiariter uterentur, si fortasse tanquam ἄλογοι ad coenam admitterentur, et acerbitas insectationis in eo est, quod ab o m n i b u s istis dicuntur rejici. Sed apertum huic sensui sola verba accommodari: οἷς ὑπὲρ ἐράνου . . . πρώην ποτὲ Ὥσπερ ἀπόνιπτρον ἐκχέοντες ἑσπέρας Ἅπαντες ἐξίστω παρήνουν οἱ φίλοι non item voces καὶ (ὑπὲρ) χ ρ ε ῶ ν. Sensit hoc scholiastarum unus, qui a vera explicationis via non prorsus aberravit: Ὑπὲρ ἐράνου· ἔθος εἶχον τέλεσμά τι εἰς τὸ κοινὸν διδόναι ὅπερ μὴ διδόντες καὶ ἄ τ ι μ ο ι ἐνομίζοντο καὶ μετὰ βίας ἀπῃτοῦντο. Παρὰ προσδοκίαν δὲ ἐπήγαγε τὸ χρεῶν. Quae in priori parte dicit, ea post haec quae exposuimus facile in ordinem redigas; at vero παραινεῖν ὑπὲρ χρεῶν monere pro rebus debitis non solum ἀπροσδοκήτως sed hoc loco ἀνοήτως poneretur. Non dubium igitur hic sedem esse corruptelae et vocem requiri, quae priori ἐράνου ac praepositioni ὑπὲρ aeque conveniat et hujus quam monstravimus sententiae partem aliquam novam reliquisque congruam efficiat. Hanc una tantum litterula mutata sisto scribendo οἷς ὑπὲρ ἐράνου τε καὶ κ ρ ε ῶ ν . . . Ἅπαντες ἐ ξ ί σ τ ω παρήνουν οἱ φίλοι. Κρέα de lautioribus dapibus plerumque cum sacrificiis conjunctis intelligenda, quippe in quibus fere solis carne vescebantur frugalissimi istius aevi homines. Hinc dies in excipiendis hospitibus laute et plerumque cum sacris peracta κρεουργὸν ἦμαρ appellatur. Aesch. Agam. 1592 ξένια δὲ . . . Ἀτρεὺς . . . κρεουργὸν ἦμαρ εὐθύ-

μως ἄγειν Δοκῶν παρέσχε δαῖτα παιδείων κρεῶν. Erant autem Athenis inprimis Panathenaeorum festa κρεουργὰ ἤματα et ad rem nostram egregie facit, quod Schol. Victor. ad Aristoph. Nub. v. 385 editum in Actis Monacensibus T. I. p. 352 notat: Τὰ Παναθήναια ἑορτὴ τῶν Ἀθηνῶν ἦν πασῶν τῶν ἐν Ἀθηναῖς τελουμένων ἑορτῶν ἡ μεγίστη, ἐν ᾗ ζώων πολλῶν σφαττομένων, ὡς πασῶν τῶν ἀποικισθεισῶν ἀπ' Ἀθηνῶν πόλεων πεμπούσης ἑκάστης ἀνὰ ἕνα βοῦν εἰς τὴν θυσίαν καὶ ἕτερα ἱερεῖα, οἱ μὲν τῆς καλλίονος μοίρας ἄνθρωποι τὰ κρέατα ἤσθιον, οἱ πένητες δὲ τοὺς ζωμοὺς σὺν τμήματι ἄρτου βραχυτάτῳ. Nec comedebant solum in sacris sed etiam secum domum auferebant: Aristoph. Plut. v. 227 Τοῦτο δὲ τὸ κρεάδιον Τῶν ἔνδοθέν τις εἰσενεγκάτω λαβών. Ad haec schol. ὅ ἔρχεται ἀπὸ τῆς θυσίας ἔχων τῶν Δελφῶν. οἱ γὰρ ἐκ θυσίας ἰόντες ἔφερον ἐξ αὐτῆς τοῖς οἰκείοις κατὰ νόμον τινά. Jam patet, in sacris illis ad carnium partes aut comedendas aut auferendas admissos esse, quibus jus erat, nec mirum si comissantes non admitterent homines nullius sortis et famelicos et contra participationem eorum jus suum tuebantur, ut ex nostra conjectura fecisse dicuntur tribules attici, si quando ex egentissimo grege Coesyrae filius aut Lamachus ad haec lautiora beatiorum in sacris convivia accederent. Rem conficiet locus Pindari de caede Neoptolemi Nem. VII. 61, Delphis inter sacras epulas perpetrata: ἵνα κρεῶν νιν ὕπερ μάχας ἔλασεν ἀντιτυχόντ' ἀνὴρ μαχαίρᾳ, quae construas: ἵνα ἀντιτυχόντα νιν μάχης ὑπὲρ κρεῶν κ.τ.λ. Paullo uberius rem exponit locus Pindari e Paeane Delphico allatus ibi a Scholiasta ad v. 94, occubuisse Neoptolemum ἀμφιπόλοισι μαρναμένων Μοιριᾶν περὶ τιμᾶν. Non adeo probabilia idem addit: Φασὶ τοῦ Νεοπτολέμου θύοντος τοὺς Δελφοὺς ἁρπάζειν τὰ θύματα, ὡς ἔθος αὐτοῖς· τὸν δὲ Νεοπτόλεμον δυσανασχέτως ἔχοντα διακωλύειν· αὐτοὺς δὲ διαχρήσασθαι αὐτὸν ξίφη ἔχοντας. Quis enim putet, tam impios fuisse Delphos, ut sacrificia diriperent, idque eos ex more fecisse. Afferunt eadem Scholia locum Asclepiadis de hac caede, in quo tamen allegoriam facile agnoscas. Ἀσκληπιάδης διὰ

(egregie Boeckh ιά) τῶν Τραγῳδουμένων. Περὶ μὲν οὖν τοῦ θανάτου σχεδὸν ἅπαντες οἱ ποιηταὶ συμφωνοῦσι τελευτῆσαι μὲν αὐτὸν ὑπὸ Μαχαιρέως ... τὸν Μαχαιρέα φασὶν υἱὸν εἶναι Δαίτου. Nempe ἀμφίπολοι illi, quos caedis auctores appellat, sunt ἱερόδουλοι circa hostias mactandas et dividendas occupati. Hinc personas induxerunt Μαχαιρεύς et Δαίτας, et jam patet, qui narrationis ordo fuerit, cui Dissenius meus non recte sacerdotes ipsos immiscuisse videtur. Nam solos ministros eorum appellat poëta, sacerdotes autem haud dubie inter Delphorum proceres vel ξεναγέτας referendi, qui caedem Neoptolemi molestissime tulisse ab eodem dicuntur: Βάρυνθεν δὲ περισσὰ Δελφοὶ ξεναγέται v. 63. Videmus autem secundum famam a poëtis traditam venisse Neoptolemum Delphos, ut Apollini sacrificia afferret. Mactantur hostiae et sacris peractis carnes dividendae inter Neoptolemi socios, ut sacram ex iis coenam instituerent, et inter templi ministros, ad quos hostiarum pars pertinebat. Jam hi suis non contenti Neoptolemi partes affectant. Unde res ad jurgia inter regem, sua defendentem et sacrificulorum gregem deducta, mox ad arma atque Neoptolemi caedem. Hae sunt μοίριαι τιμαὶ, ob quas ἀμφιπόλοισι μαρνάμενος caesus esse dicitur Neoptolemus. Vides autem satis magnam similitudinem intercedere inter ea, quae apud Aristophanem et Pindarum leguntur. In utroque δαιτύμονες in sacris, qui κρέα sua appeti indignantur ab alienis hominibus. Hinc in utroque defenduntur dapes, apud Aristophanem enim est παραίνεσις ὑπὲρ κρεῶν, apud Pindarum μάχη ὑπὲρ κρεῶν, ibi res verbis transigitur ἐξίστω clamantium, hic ad caedem usque pervenit. Nec sine fructu conferas Iliad. X. 495. Τὸν δὲ καὶ ἀμφιθαλὴς ἐκ δαιτύος ἐστυφέλιξεν Χερσὶν πεπληγὼς, καὶ ὀνειδείοισιν ἐνίσσων. Ἔρρ' οὕτως· οὐ σός γε πατὴρ μεταδαίνυται ἡμῖν, ubi vides, vel puerum orbum, qui convivis, quibus pater non intererat, accederet ab aequalibus simili modo accipi, quo tractantur in loco Aristophanis adulti quidem sed non melioris conditionis homines, qui θεῶν πρὸς δαῖτα θάλειαν sociorumque in eis dapes venire audent.

Superest difficultas metrica, mota ab Hermanno Element. D. M. II. XIV. §. 23 p. 131 qui negat sese excipere posse dactylum et anapaestum in iambis comicorum, uti fieri videmus in hoc οἷς ὑπὲρ | ἐρανοῦ | — υ υ | υυ — . Eam tollere quidem possis scribendo οἷσιν ὑπὲρ ἐραν — ου καὶ κρεῶν i. e. — υ υ | υ υ υ || — —, υ — . Nam mira est Reisigii opinio alienos esse a poëtae usu dativos productioris formae οἷσιν, τοῖσιν, αὐτοῖσιν al. quibus abundant carmina ejus, et sunt eae genuinae, breviores vero ex illis detritae. Sed in ipsa re admittenda haereo, si apud Hermannum catalogum locorum considero mutandorum scilicet, ut illa pedum diversorum conjunctio ex his jambis tollatur. Nam haec quaestio non ad metri leges pertinet, quae hic salvae sunt, sed ad rhythmi, cujus plurima nobis incognita adhuc latent. Accedit, quod in versu iambico junctura syllabarum — υ υ metrum quidem dactyli habet, sed rhythmum anapaesti, quippe signandae eae non sunt —′ υ υ, sed — υ′υ quod tonum non in priore sed in posteriore pedis parte habent, quo recte posito rhythmus sine difficultate procedit. Satius igitur duco talia notare quidem, sed immutata relinquere.

EPIMETUM POSTERIUS.

His paullo uberius expositis subjungere lubet nonnulla brevius notata ad Acharnenses, quibus alia quaedam ad Equites ac Pacem accedent.

Vers. 2.

Ἥσθην δὲ βαιὰ πάνυ δὲ βαιὰ τέτταρα.

Non apta videtur repetitio particulae δὲ, nam haec πάνυ βαιὰ

τίτταρα sunt ea ipsa *βαιὰ*, quae antea commemoraverat. Scr. *πάνυ γε βαιὰ*, ut hae voces vim prioris augeant, *τίτταρα* autem jam ad prius *βαιὰ* referatur.

Vers. 13.

Ἐπὶ μόσχῳ ποτὲ
Δεξίθεος εἰσῆλθ'.

Mirum veram scripturam *ἐπὶ Μόσχῳ ποτε Δεξίθεος εἰσῆλθ'* negligi potuisse conspectis et reputatis iis, quae Scholiasta de utroque poëta commemorata etiam Moschi patria refert, cum inprimis de vitulo dithyramborum poëtis praemio dato aliunde non constet.

Vers. 18.

Οὕτως ἐδήχθην ὑπὸ κονίας τὰς ὀφρῦς.

Reisigius proposuit *οὕτωγ' . . . κονίας τὰς ὀφρῦς*. Saltem debuisset *οὕτως γ'*. Sed melius dictioni consulas scribendo *ὑπό γε κονίας*.

Vers. 412.

Ἀτὰρ τί τὰ ῥάκι' ἐκ τραγῳδίας ἔχεις;

Molesti aliquid inest in interrogatione. Nondum scit, unde pannos habeat, quibus indutus est, sed suspicatur tantum. Nec si sciat, interroget, quare eos habeat i. e. induerit. Nam hoc non ad rem. Scrib. igitur *Ἀτὰρ τάδε ῥάκι' ἐκ τραγῳδίας ἔχεις;*

Vers. 426 Bekk. (456 Br.) 451.

Νῦν δὴ γενοῦ
Γλίσχρος, προσαιτῶν, λιπαρῶν τ'. Εὐριπίδη
Δός μοι σπυρίδιον.

Molestum τε in fine trium nominum, quae cum vi sine copulis sese excipiunt. Remansit copula ex prisca lectione λιπαρῶν τ' Εὐριπίδην, quam Brunckius duorum codicum auctoritate nixus sustulit. In seq. versu τί δ' ὦ τάλας γε τοῦδ' ἔχει πλέκους χρέος; vocula γε sine sensu. Reponendum ὦ τάλας σύ ex ipso Telephi versu, quem adfert scholiasta. Quo admisso cum Scaligero ἔχεις scribendum.

Vers. 436 (460).

Εὐρ. Φέρου λαβὼν ταῦτ'· ἴσθ' ὀχληρὸς ὢν δόμοις.
Δικ. Οὔπω μὰ Δί' οἶσθ' οἷ' αὐτὸς ἐργάζει κακά.
'Αλλ' ὦ γλυκύτατ' Εὐριπίδη τουτὶ μόνον
Δός μοι χυτρίδιον κ. τ. λ.

Juntina anni 1515 Φέρε λαβών, quod commode quidem leges φέρε δὴ λαβών. Sed in reliquis scriptum φέρου, qua auctoritate equidem ignoro. Neque de significatione imperativi φέρου i. e. aufer te constare puto. Ravennas φθείρου exhibet, quod defendunt locis Plut. 598, ubi glossa φθείρου ἀφανίσθητι v. 610 aliis. Sed nostro loco gravior haec esset objurgatio, neque reliquis, quae praecedunt aut sequuntur, congrua: Τουτὶ λαβὼν ἄπελθε 499 . . . ἀποχώρησον δόμου 456 . . . ἄπελθε νῦν μοι 456 et postea ἄπελθε ταυτηνὶ λαβὼν v. 465. Nec prius irascitur Euripides quam ad finem, ubi se irrideri manifesto videt. — Vide igitur num ἔρρ' οὖν scribendum sit. Utitur verbo in re simili Homerus Il. Θ 164 Ἔρρε κακὴ γλήνη, in quo glossa

ἔῤῥε. φθείρου cf. Od. *K* 75. Nec incommode Euripides phrases dictioni exquisitiori proprias utpote tragicus h. l. adhibet. Ἐῤῥήσατε habet ipse Aristoph. Vesp. 1329 Lys. 1240. In reliquis laborat explicatio. Οὔπω si cum sequentibus jungitur οὔπως οἶσθα οἷ' αὐτὸς ἐργάζει κακά, verba sine sensu sunt. Si cum Bothio id est Hotibio intelligis ἀπέρχομαι e nexu vel potius ἔῤῥω, nondum recto talo procedunt sequentia. Ut constructio constaret, intelligendum esset cum schol. μὴ δούς. Sed ne sic quidem clarum, quid haec negando tanti mali faciat Euripides, et quomodo id ignorari ab eo dicatur, cum rem omnem poëtae jam ab initio ipse Dicaeopolis exposuerit. cf. inprimis 416, 417. Haec caussa videtur, quare scholiasta aliud quid tentaverit. Explicat enim: ἐργάσῃ κακῶς αὐτὸς σεαυτὸν χαριζόμενος μοι ταῦτα δι' ὧν σε κακῶς λέγω. At vero si malum in irrisione est, quomodo id sibi parat Euripides tribuendo ea quae petit Dicaeopolis, et si statuas excidisse in verbis schol. μὴ ante χαριζόμενος, quod mihi quidem admodum probabile videtur, non melius procedit sententiarum ordo. Nihil enim novi aut mali accidere potest Euripidi, si pannos negat se daturum. Hinc alter scholiasta, rem non ad Euripidem, sed ad ejus dramata contulit et sensum ita exponit: οὐκ οἶσθα ὅπως βαρὺς εἶ ἐν τοῖς δράμασι καὶ ἀποκναίεις τοὺς θεατάς, nihil neque hic proficiens. Non enim in ejus tragoediis molestiam potest incusare ut suam excuset, nec qui molestus est dici potest ἐργάζεσθαι κακά. Sensum restitues si οὔτοι scribes pro οὔτω et versum ad Euripidem referas: Ἔῤῥ' οὖν λαβὼν ταῦτ' . . . οὔτοι μὰ Δί' οἶσθ' οἷ' αὐτὸς ἐργάζει κακά. Quid mali faciat Dicaeopolis nunc in universum denunciat Euripides, mox aperte dicit v. 464. Ἄνθρωπ' ἀφαιρήσει με τὴν τραγῳδίαν. Male ad haec schol. οἷον τὰ σκεύη τῆς τραγῳδίας. Nam ipsi tragoediae, quam mente agitabat, tunc temporis timebat exturbatus sedibus suis Euripides. Hinc in seqq. 470 ἀπολεῖς μ' ἰδού 601 φροῦδά μοι τὰ δράματα cf. Nub. 136 seqq. ubi simili modo Sophistarum meditationes ad abortum pelluntur a Strepsiade. Inest autem in verbis οἶσθ' οἷ' αὐτὸς

ἐργάζει κακά color cothurni, quo omnis hujus scenae dictio tincta est, ob parodiam phrasis autem haud dubie cum reliquis e Telepho translata.

Vers. 549 (575 seqq).

Ἡμιχ. Ὦ Λάμαχ' ἥρως, τῶν λόφων καὶ τῶν λόχων. —
Ημ. ὦ Λάμαχ', οὐ γὰρ οὗτος ἄνθρωπος πάλαι
Ἅπασαν ἡμῶν τὴν πόλιν κακοῤῥοθεῖ; —
Δικ. ὦ Λάμαχ' ἥρως ἀλλὰ συγγνώμην ἔχε.

Apparet Lamachus invocatus a Choro armis fulgens. Hinc Chorus admirans *ὦ Λάμαχ' ἥρως τῶν λόφων τε καὶ λόχων.* Ita Brunckius; sed primum mireris quare Chorus, qui heroa illum cognitum et familiarem habet in haec verba erumpat, terroris fere quamquam comici plena, non vero Dicaeopolis, inprimis cum hic ipse in sequentibus ea dicat, quae tali initio congrua sunt, et animum admiratione et timore motum indicant: *Οὐκ οἶδά πω· Ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ τῶν ὅπλων ἰλιγγιῶ.* Sed haec sine difficultate removeas. Nam versus non nisi a Brunckio a Dicaeopoli ad Semichorum translatus est, nec dubium, quin Dicaeopoli reddi debeat. Jam vero in censum veniunt *λόχοι.* Quare enim sive Chorus sive Dicaeopolis catervas vel miretur vel timeat atque horreat, quae non adsunt? Solus enim ille in scenam prodit *πανοπλίᾳ* insignis. Dicunt quidam interpretes haec eadem verba conjungi etiam v. 1038 *ταχέως λαβόντα τοὺς λόχους καὶ τοὺς λόφους.* Sed ibi de cohortibus sermo est et *λόφοι* appositi sunt, quia revera arma milites sumunt. Quid vero hic locorum, ubi horum nihil? Superest, ut statuas quadam sonorum aequabilitatis caussa *λόφους* et *λόχους* conjungi, quod quidem tolerari posset, si lectio constaret. Sed codex Rav. habet: *ὦ Λάμαχ' ἥρως τῶν φίλων καὶ τῶν λόχων.* Ex eo mihi quidem non dubium, quin

legendum sit Ὦ Λάμαχ' ἥρως τῶν πτίλων καὶ τῶν λόφων. Hoc enim modo liberatur dictio a molesto isto vocabulo et terrorem habet, sed comicum. Jam enim a primo limine patet eo rem deduci, ut rideatur Lamachus. Πτίλα autem de plumis galeae impositis. Ut minus etiam dubites de sensu vocis et de poëtae consilio, in sequentibus Dicaeopolis ex eis plumis unam vel si una fuit, hanc ipsam requirit, cujus auxilio vomat. Deposuit petente id Dicaeopoli galeam Lamachus. Jam hic 583. Ἰδού. Δικ. παράθες νῦν ὑπτίαν αὐτὴν ἐμοί. Λάμαχ. Κεῖται. Δικ. φέρε νῦν ἀπὸ τοῦ κράνους μοι τὸ πτερόν. Λαμ. Τουτὶ πτίλον σοι. Usus est autem hoc loco plurali ad augendam rem et ad ἰσονομίαν πτίλων καὶ λόφων. Nam unam fuisse, sed ingentem monstrat vers. 1145 in quo refert Lamachi famulus, quomodo dominus suus in hostium incursione vulneratus fuerit et quid miraculosae illi plumae acciderit. Πτίλον δὲ τὸ μέγα κομπολακύθου πεσὸν Πρὸς ταῖς πέτραισι δεινὸν ἐξηύδα μέλος.

Vers. 878 (914).

Νικ. Καὶ σέ γε φανῶ πρὸς τοῖσδε . . . .
ἐκ τῶν πολεμίων γ' εἰσάγεις θρυαλλίδας.
Δικ. Ἔπειτα φαίνεις δῆτα διὰ θρυαλλίδας;
Νικ. Αὕτη γὰρ ἐμπρήσειεν ἂν τὸ νεώριον.

In versu ἔπειτα κ. τ. λ. fluctuat lectio, cum διὰ desit in quibusdam. Brunckius ea omissa proposuit δῆτα τὰς θρυαλλίδας, Elmslejus δῆτα καὶ θρυαλλίδα, sed desideratur in his vis comica digna persona Dicaeopolis, qui non tam simpliciter potest interrogare. Accedit quod φαίνεις ad ambiguam dictionem invitat, quod ipsum et denunciare significat et lumen facere. Verum jam perspexit Bentlejus scrib. διὰ θρυαλλίδος ambiguitate ea, quam locus requirit. Potes enim ad φαίνεις intelligere αὐτόν, tunc sensus est: Tu igitur

cum denuncias, ellychnio usus ad denuntiationem tuam, contra si *φαίνειν* lucem facere est, sententia erit: Tu igitur lucem facis ope ellychnii: *ἔπειτα φαίνεις δῆτα διὰ θρυαλλίδος*, in qua phrasi particulae *ἔπειτα* et *δῆτα* ironiam aperto produnt. Jam vide locum, in quo idem jocus quamquam cum negatione occurrit vers. 822 *Μεγ. Δικαιόπολι . . . φαντάζομαι . . . Δικ. τίς ὁ φαίνων σ᾽ ἐστίν . . . τί δὲ μαθὼν φαίνεις ἄνευ θρυαλλίδος;* Nam ex opposito dicuntur *φαίνειν ἄνευ θρυαλλίδος* et *φαίνειν διὰ θρυαλλίδος*. Si quid deest ad tuendum singularem, id quidem sequens versus exhibet, qui eodem numero continuatur. *Νικ. αὕτη γὰρ (ἡ θρυαλλίς) ἐμπρήσειεν ἂν τὸ νεώριον.* Nempe Nic. *φαίνεις διὰ θρυαλλίδος* altero illo sensu denunciandi *φαίνειν* intelligit.

Vers. 1121 (1158).

Ἡ δ᾽ ὠπτημένη (τευθίς)
Σίζουσα πάραλος, ἐπὶ τραπέζῃ κειμένη
Ὀκέλλοι.

Quid *πάραλος*? et quomodo *παραθαλασσία* dici potuit loligo (*τευθίς*), quae non ad mare sed in medio mari vivit? Nec quidquam proficis, si cum scholiasta de Paralo Atheniensium navi cogites, non enim de navibus hic sermo sed de piscibus. Quae porro est *τευθὶς ἐν τραπέζῃ κειμένη* et tamen *ὀκέλλουσα*. Num appellere i. e. advenire potest, ad mensam quae jacet i. e. jam adest in mensa? Haec expedias scribendo: *Σίζουσα παρ᾽ ἁλὸς ἐπὶ τραπέζῃ κειμένῃ Ὀκέλλοι.* — *Τράπεζα κειμένη* est extensa, *ἐκτεταμένη* ad dapes recipiendas vel *παρακειμένη*. Utitur hoc verbo de mensa ad dapes proposita Hom. Il. ω 475. *Νέον δ᾽ ἀπέληγεν ἐδωδῆς Ἔσθων καὶ πίνων, ἔτι καὶ παρέκειτο τράπεζα*, simplici verbo Xenoph. Anab. VII. 3, 11. *Διεῤῥίπτει (ὁ Σεύθης) . . . τὰ κρέα . . . καὶ οἱ*

ἄλλοι δὲ κατὰ ταῦτα (scr. ταὐτά) ἐποίουν, καθ' οὓς αἱ τράπεζαι ἔκειντο. — Τευθίς autem non est intelligenda de singulo prisciculo, verum de sartagine loliginum plena, quam in simili imprecatione nominavit Equitt. 923. Εὔχομαι δέ σοι τοδί· Τὸ μὲν τάγηνον τευθίδων Ἐφιστάναι σίζον κ. τ. λ. Jam sensus patebit: Sit mensa extensa et ad eam appellat a mari assa atque stridens τευθίδων in sartagine copia. Παρ' ἁλὸς dicit, ut recens captos eoque delicatiores pisciculos indicet. Nam exquisitissimi sunt gustus tum pisces, quum vix e fluctibus protracti ad carbones assantur et adhuc fervidi ad comedendum proponuntur.

AD EQUITES.

Vers. 95.

Ἀλλ' ἐξένεγκέ μοι ταχέως οἴνου χοᾶ,
Τὸν νοῦν ἵν' ἄρδω καὶ λέγω τι δεξιόν.

Non aptus hoc loco versus, qui dubitationes in sequenti enunciatas praecidit. Non enim posset Nicias interrogare, quid facturus esset cum isto vino Demosthenes, si is jam hoc ipsum indicasset. Recte demum procedit ordo sententiarum, si primum, quid facturus sit in universum indicet, se nempe boni quid facturum: ἀγάθ'· ἀλλ' ἔνεγκε et deinde rem ipsam explicet. Redit autem idem versus infra 113 Φέρε νυν ἐγὼ 'μαυτῷ προσαγάγω τὸν χοᾶ, τὸν νοῦν ἵν' ἄρδω κ. τ. λ. et hoc quidem loco aptissime. Hinc in priore delendum puto. Repetitus est ob hanc caussam, quod in utroque loco versus praecedens eodem vocabulo χοᾶ terminatur, quae frequentissima caussa hujusmodi repetitionum fuit.

Vers. 109.

Δημ. Ὦ Δαῖμον ἀγαθὲ, σὸν τὸ βούλευμ' οὐκ ἐμόν.
Νικ. Εἴπ' ἀντιβολῶ, τί ἐστι; Δημ. τοὺς χρησμοὺς ταχὺ
Κλέψας ἔνεγκε τοῦ Παφλαγόνος ἔνδοθεν
Ἕως καθεύδει. Νικ. Ταῦτ' ἀτὰρ τοῦ δαίμονος
Δέδοιχ' ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος.

Laborat locus in vocibus ταῦτ' ἀτάρ. Editiones priscae interrogationem habent ταῦτ' ἀτὰρ τοῦ δαίμονος; quae ad Kusterum usque propagata fuit, qui vertit: Haeccine vult Genius? Id admitti ex parte posset, si ἄρα legeretur, vel ob metrum ἄρ' οὖν, sed ne hoc quidem concinne diceretur ταῦτα τοῦ δαίμονος pro τοῦτο τὸ βούλευμά ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ δαίμονος. Jam Berglerus interpunctione mutata scripsit ταῦτ' ἀτὰρ τοῦ δαίμονος Δέδοικα κ. τ. λ. At vero ipse fluctuat in explicando eo, quod jam dicat Aristophanes. Nam primum dicit ταῦτα esse admirantis Haeccine? et provocat ad Av. 802 τουτὶ τοιαυτὶ μὰ Δί'. — Deinde putat intelligi posse ἐκεῖνα, sed utrumque diceretur cum asseveratione, quae abest ob hoc loco. Imm. Bekkerus omnem interpunctionem sustulit ταῦτ' ἀτὰρ τοῦ δαίμονος Δέδοιχ'. Is enim ταῦτα adverbii loco habuisse videtur. Hoc admisso quid fiet particulae ἀτάρ; Brunckius et ipse duplicem explicationem proponit, Dindorfius duplicis constructionis conjunctionem δέδοικα ταῦτα et δέδοικα ὅπως μὴ τεύξομαι, quae mihi quidem a simplicitate Aristophaneae dictionis abhorrere videntur. Accedit quod a praecedente τοῦ Δαίμονος non potest sejungi κακοδαίμονος. Nam si statuis, hoc fieri explicandi causa, vox τοῦ Δαίμονος articulo carere debet; sin vero κακοδαίμονος opponis ἀγαθῷ δαίμονι, scribendum erat Δαίμονος τοῦ κακοδαίμονος. Haud dubie legendum ταῦθ' ἑτέρου του (i. e. τινὸς) δαίμονος· Δέδοικα κ. τ. λ. Ἕτερος est alteri oppositus, e regione situs cf. Thucyd. I. 137. Themistocles ab Admeto, Epiri rege dimittitur

ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλασσαν πεζῇ. Jam si primum illud bonum est, ἕτερον necessario est malum. Hinc θάτερα (τὰ ἕτερα) idem quod mala Platon. Phaed. c. 63. Ipsum autem ἕτερον δαίμονα habes Pind. Pyth. III. 62 Δαίμων δ' ἕτερος ἐς κακὸν τρέψαις ἐδαμάσσατό νιν. Hinc, cum Demosthenes bonum genium appellasset, qui ei suaderet, ut oracula Cleoni surriperet, Nicias bene et κωμικῶς pergit: „Haec alterius (nimirum mali) cujusdam sunt genii et ἐπεξηγήσει id explicat, Δέδοιχ' ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος i. e. Δαίμονος. Nam eo aevo κακοδαίμων non nisi adjectivum est, recentiores Ἀγαθοδαίμων et Κακοδαίμων tamquam substantiva adhibuerunt.

Vers. 526.

Εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ
Διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔρρει καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
Ἐφόρει τὰς δρῦς κ. τ. λ.

Suspecta haec judicat Lobeckius ad Phrynichum p. 739, ac jure quidem, quis enim ferat ῥεύσας ἔρρει? Scrib. vid. ἔρρων et comma ponendum post ἐπαίνῳ. Ἔρρω, ejusdem ac Latinorum verro etymi, est violenter aliquid loco movere. Hinc istud Homericum ἔνθα με κῦμ' ἀπόερσε Il. ζ 348. Hinc significatione media distrahi, diffundi, ut in nota illa phrasi ἔρρει τὰ καλά. Inest igitur notio vagi, distracti. Vagus autem nostro loco est torrens ob id ipsum quia ἀφελῆ τὰ πεδία sunt quae ei ad exspatiandum patent. Eadem imagine Horat. Od. I. 2, 18 de Tiberi qui sinistra ripa per urbem et adjacentem planitiem egressus erat: Retortis littore Etrusco violenter undis, . . . vagus et sinistra labitur ripa. — Huic adjungamus

locum, qui simili vitio laborat vers. 626 ὁ γὰρ ἔνδον ἐλασίβροντ ἀναῤῥηγνὺς ἔπη Τερατευόμενος ἤρειδε κατὰ τῶν ἱππέων Κρημνοὺς ἐρείδων καὶ ξυνωμότας λέγων. Ἐρείδω de certaminibus recte et poëtice dicitur Pind. Ol. IX. 46 ubi de Herculis pugna cum Neptuno et Apolline Ἀνίκ' ἀμφὶ Πύλον σταθεὶς ἤρειδε Ποσειδᾶν Ἤρειδέν τέ μιν (scrib. δέ ἶν) ἀργυρέῳ τόξῳ πολεμίζων (scr. πελεμίζων) Φοῖβος. Jam recte ἤρειδε cum ἀναῤῥηγνὺς ἔπη jungitur in primis, cum subjiciatur κατὰ τῶν ἱππέων. Sed quid jam κρημνοὺς ἐρείδων? Cum accus. verbum hoc ita copulatur, ut significet niti, inniti aliqua re v. c. πόδ' εἰς χθόν' ἐρείδειν et similia. Patet igitur et repetitione ejusdem vocabuli et sensus inconcinnitate locum laborare. Scrib. ἐρεύγων. Ἐρεύγειν est eructando protrudere, promere Ἠΐονες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω. Il. *P* 265. Κρημνοὶ autem quos evomisse dicitur Cleon sunt verba minacia, dira. Hinc subjungitur commode, καὶ ξυνωμότας λέγων Πιθανώτατ' quam vocem recte J. Bekkerus a sequentibus separatam his verbis adjunxit. Ἐρείπων quod Brunckius proposuit non perinde aptum est. Monstrat id ipse locus, quo usus est ad conjecturam illam commendandam Il. *O* 355 προπάροιθε δὲ Φοῖβος Ἀπόλλων Ῥεῖ' ὄχθας καπέτοιο βαθείης ποσσὶν ἐρείπων ἐς μέσσον κατέβαλλε i. e. pedibus disturbavit vallum ejusque ruderibus fossam replevit, ut via super eam pateret. Est enim ἐρείπειν in rudera ἐρείπια convertere, cui significationi nullus hic locus.

Vers. 544 (Bekkeri 546 Brunckii).

Αἴρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπαις
Θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην.

Junctura vocabulorum incommoda. Non enim θόρυβος sed

ποιητὴς παραπέμπεται i. e. παραπομπῇ comitatu deducitur, honoratur. Contra voces αἶρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον commode continuantur per θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην, quibus qui sit ille ῥόθιος explicatur. Non tamen ob hanc causam transponenda vocabula παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπαις, sunt enim justo loco post ῥόθιον sita, sed ὡς ἐν παρενθέσει, quapropter non impediunt, quominus uno ordine ῥόθιον et θόρυβον posita intelligantur.

Vers. 695 (698).

Κλ. Οὔ τοι μὰ τὴν Δήμητρά ῥ' ἐάν σ' ἐκφάγω
'Εκ τῆσδε τῆς γῆς, οὐδέποτε βιώσομαι.
Αλ. Ἢν μὴ 'κφάγῃς, ἐγὼ δέ σ' ἢν μὴ 'κπίω
Κἀπεκροφήσας, αὐτὸς ἐπιδιαῤῥαγῶ. —

Haec prisca Aldinae Juntinae aliarum lectio. Ravennas pro ἐάν et ἤν simplex habet εἰ, quod Reisigius defendit Lexicorum Sequiriensium auctoritate. Sane varius in ea re usus, sed in prosa attica et in dictione Aristophanea huic affini tam constans est conjunctivi post ἤν usus et voculae εἰ ante conjunctivum fuga, ut nunc quidem de vulgata nondum sit cedendum. Praeterea Rav. Δήμητρά γ' habet haud dubie vere. Nec video, si in seq. versu ἤν repetitur quare poëta in priore ἐάν posuerit. Nimirum ε istud ex γέ ortum. Scribendum igitur *Οὔ τοι μὰ τὴν Δήμητρά γ' ἢν μή σ' ἐκφάγω.* Non autem hoc est verbum praegnans, ut dicit Casaubonus, pro duobus positum, ut sit nisi te comedero pro comesum ejecero. Quomodo enim hominem primum comesse et dein ejicere possit e terra? Sed ponitur ἀπροσδοκήτως, ubi expectes ἐκβάλω ἐκ τῆσδε γῆς ad voracitatem Cleonis irridendam. Versus tertii initio cum verba praecedentia ἢν μή σ' ἐκφάγω repetantur, et ἐγὼ δέ σε sequantur, hic quidem σύ et μέ haud recte aberunt. Scribend. igitur ἢν ἐκφάγῃς σύ μ'. Etiam reliqua laborant ἐγὼ

δέ σ' ἦν μὴ 'κπίω una syllaba breviora pro hoc metro. Recte Bentlejus ἐγὼ δέ γ' ἦν μή σ' ἐκπίω. Nam addita particula γέ oppositiones illae, ut decet, augentur. Simili modo in fortiori oppositione v. 967 οὑμοὶ δέ γ' αὖ λέγουσιν. Sollicitaverunt etiam participium κἀπεκροφήσας, sine caussa. *Καὶ* in eo est e t i a m, i n s u p e r.

Vers. 784 (786).

Τοῦτό γέ σου τοὖργον ἀληθῶς γενναῖον καὶ φιλόδημον.

Haec Aldinae, Juntinae aliarum editionum lectio, cui post ἀληθῶς syllaba longa deest, quam lacunam certatim expleverunt interpretes nullo ut mihi quidem videtur successu. Aristophaneae dictionis vestigia lectio quamquam corruptissima h. l. Cod. Ravenn. monstrare videtur. Habet is: *Τοῦτό γέ τοί σοι τοὖργον ἀληθῶς αὐτοῦργον γενναῖον καὶ φιλόδημον.* Pro *αὐτοῦργον* Bekkerus sine accentibus sistit vocem unam *αυτουργον*. Nempe libr. vocem bis posuerat *τοῦτο γέ τοί σου τοὖργον ἀληθῶς ἦν ἔργον γενναῖον κ.τ.λ.* Ejectis autem, quae explicandi caussa addita sunt vocibus *τοί* et *ἔργον* legendum *τοῦτό γέ σου τοὖργον ἀληθῶς ἦν γενναῖον κ. τ. λ.* quae est lectio vulgata modo addita imperfect. *ἦν*. Hoc imperfectum in similibus sententiis asseverandi sensu ponitur usu prisco et jam Hesiodo cognito, cujus *Ἔργων* initium erat secundum Boeotos a versu: *Οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος κ. τ. λ.* cf. Theog. 699. *Πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίγνεται ἥδε Πλουτῶν τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἄρ' ἦν ὄφελος.* Nec ipse Aristophanes hanc dicendi rationem ignorat. Pac. 22. *Οὐδὲν γὰρ ἔργον ἦν ἄρ' ἀθλιώτερον* de re praesenti cum asseveratione adhibitam.

Vers. 1366.

Ἔπειτ᾽ ὁ πολίτης ἐντεθεὶς ἐν καταλόγῳ
Οὐδεὶς κατὰ σπουδὰς μετεγγραφήσεται.

Mirum hoc si in universum dicitur, id est de cive in genere. Nam si hunc appellat, nullum excipit et intelligit tabulas, in quibus civium nomina erant perscripta. De his autem si loquitur, quomoda aliquis in eo laborare potest, ut eximatur et alio transferatur? Nam qui ex his tabulis excidit, jure civis attici excidat necesse est. Non igitur de tabulis in universum, sed de certo tabularum genere, nempe de tabulis militaribus sermo est. De his autem vel imprimis *κατάλογος* dicitur. Suid. *Κατάλογος ἡ ἀπογραφὴ τῶν ὀφειλόντων στρατεύεσθαι καὶ ἡ ἐξαρίθμησις· ὁ πίναξ ἐφ᾽ ᾧ ἐνέγραφον τῶν ἐκστρατευομένων τὰ ὀνόματα* allato hoc ipso Aristophanis loco. Eadem fere Schol. ad hunc locum. Non igitur de civibus in genere sermo est, sed de militibus et de iis quidem, qui militiam detrectabant. Fluxa autem scriptura vocis *ὁ πολίτης*. Ravenn. *δ᾽ ὑπολίποις*. Scrib. *ἔπειθ᾽ ὁπλίτης ἐντεθεὶς ἐν καταλόγῳ*. Jam omnia concinere intelliges.

AD PACEM.

Vers. 16.

Οἰκ. Α. Καὶ τρῖβ᾽ ἑτέρας γε. Οἰκ. Β. μὰ τὸν Ἀπόλλω ᾽γὼ μὲν οὔ.

Cod. V. et Rom. *γε* omittunt. Dindorfius: *Καὶ τρῖβ᾽ ἔθ᾽ ἑτέρας* sine causa. Nam *γε* post *ἑτέρας* facit, ut tonus in hac voce colligatur, quo facto patet *ἑτέρας* distinctius cum respectu ad priora dici, hoc est idem atque

ἑτέρας ἔτι vel ἔτι ἑτέρας ea dicendi forma significari. Idem vir egregiu vers. 33 τίως ἕως σαυτὸν λάθῃς διαῤῥαγείς Reisigium sequutus sine causa optativum λάθοις intulit, quo non magis opus quam Dawesiano ἄν.

Vers. 64.

Τοῦτ' ἔστιν δῆτα τὸ κακὸν αὔθ' οὑγὼ 'λεγον.

Haec vulgata, recte quoad dictionem τοῦτό ἐστι τὸ κακὸν αὐτὸ, vel αὐτὸ τὸ κακὸν ὃ ἔλεγον. Sed Ravennas Τοῦτ' ἔστι τουτὶ τὸ κακὸν αὔθ' οὑγὼ 'λεγον. Hinc Reisigius τοῦτ' ἔστι τοῦτο τὸ κακὸν αὔθ' qua ratione dictio duplici τοῦτο oneratur. Scr. τοῦτ' ἔστι τουδὶ τὸ κακὸν αὔθ', nempe τουδὶ hujusce hominis.

Vers. 98.

Τοῖς τ' ἀνθρώποισι φράσον σιγᾶν.

Ravennas ἀνθρώποις. Hinc ἀνθρώποις τε Dindorfius sine causa. Recte sese excipiunt τοῖς τ' ἀνθρώποισι et τούς τε κοπρῶνας. Sed quae sequuntur καὶ τὰς λαύρας καιναῖς πλίνθοισιν ἀνοικοδομεῖν vitium habent. Non enim patet, quare denuo vel in altum aedificari debeant λαῦραι. Recipiendum ex margine ed Flor. ἀποικοδομεῖν aedificando separare a viis et aeris accessu, ne eas sentiat Trygaei scarabaeus.

Vers. 114.

ὦ πάτερ ὦ πάτερ ἆρα γ' ἐτήτυμος

Recte sic Dindorfius pro eo, quod est in libris ἔτυμός γ' ἄρ, vel ἆρα. Dubitat enim puella ut versus 116 ἔστι τι τῶνδ' ἐτύμως; monstrat. Redit vox ἐτήτυμος in iis, quae respondet Trygaeus v. 119, sed sine caussa idem editor Δώμασιν ἡμετέροις φάτις ἥκοι in ἥκοι δώμασιν ἡμετέροις φάτις. Recte enim hac paroemiaci specie ῥῆσις in clausulam exit, post quam ipsa illa φάτις commemoratur. Nec concinne spondeum in hac rhythmi agilitate initio versus pones.

Vers. 269.

Ἄπολλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος ὁρᾷς
Ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Rav. et Vat. omittunt ὁρᾷς. Hinc Porson. Ἀθηναίοισι ἀλετρίβανος. Sequitur hunc Dind. ὁρᾷς metrici grammatici additamentum appellans. Sed nil mutandum ὁρᾷς, ὁρᾶτε docendi vel excusandi causa media injiciuntur. Cf. Nubb. 254 ὅτι Κλεισθένη εἶδον ὁρᾷς διὰ τοῦτ' ἐγένοντο γυναῖκες. Thesmoph. 490. Τοῦτ' οὐδεπώποτ' εἶφ' ὁρᾶτ' Εὐριπίδης et mox 496 ταῦθ' ὁρᾷς οὐπώποτ' εἶπεν ib. 556 ἐπεὶ τόδ' οὐκ εἴρηχ' ὁρᾷς Eccles. 104 Πρότερον ἦν οὗτος γυνή, Νυνὶ δ' ὁρᾷς πράττει τὰ μέγιστ' ἐν τῇ πόλει. Articulo autem recte caret ἀλετρίβανος in ore heri vel famuli tamquam instrumentum domesticum. Vocabula enim usu multo trita ἄναρτα. Hinc vers. 259 οἴσεις ἀλετρίβανον τρέχων; et v. 282 ἀπόλωλε γὰρ καὶ τοῖς Λακεδαιμονίοισι κακὸς ἀλετρίβανος, ubi tamen scrib. κακῶς ἀλετρίβανος. Contra Trygaeus vers. 265 εἴπερ γὰρ ἥξει γε τὸν ἀλετρίβανον φέρων. Sed hic leg. τόν γ' ἀλετρίβανον. Nam in nomine tonus est hoc loco, non in verbo. — Vers. 274 οὐκ οὖν ἕτερον δῆτ' Ravenn. γέ τι pro δῆτ'. Reisig. γ' αὖτ' sine causa alteram particulam alteri postponens. Sed γέ τι corruptum videtur ex γέ τοι. Ac τοι et ἐκ crasin faciunt tam bene quam τοι ἄν similia.

Vers. 381 (395).

Μηδαμῶς, ὦ δέσποθ', Ἑρμῆ, μηδαμῶς, μὴ μηδαμῶς
εἴ τι κεχαρισμένον
χοιρίδιον οἶσθα παρ' ἐμοῦ γε κατεδηδοκώς,
Τοῦτο μὴ φαῦλον νομίζων ἐν τῷδε τῷ πράγματι.

Versus ultimus et structura et metro laborat. Hinc certatim concurrerunt interpretes ad eum sanandum, falsi in eo, ni fallor, quod *νομίζων ἐν* in *νόμιζ' ἐν* mutaverunt. Recte ponetur infinitivus hoc loco, utpote in oratione instanter precantium. Jam *τῷδε τῷ* facile in unam vocem contrahas *τοιούτῳ*, quo facto oratio illa procedit:

τοῦτο μὴ φαῦλον νομίζειν ἐν τοιούτῳ πράγματι.

Patet haec concinne dici neque multum a vulgata lectione recedere.

Vers. 401 (409).

Ερ. ἵνα τί δὲ τοῦτο δρᾶτον; Τρ. ὅτιη νὴ Δία
Ἡμεῖς μὲν ὑμῖν θύομεν

Haec lectio Aldina est, Iuntina prior *ἵνα δὲ τί τοῦτο*, quod ducit ad *ἵνα δὴ τί τοῦτο*, et haec quidam scriptura recipienda haud dubie erat auctore Bentlejo, sed interpungenda *ἵνα δή; τί τοῦτο δρᾶτον;*

Vers. 465.

Οἰμώξεσθ' οἱ Βοιωτοί.

Brunckius dictionem interpolavit, scribendo ὦ *Βοιωτοί*, quem male sequutus Dindorfius. Recte nominativus cum compellatione vel admonitione jungitur.

Vers. 461.

Χο. *Ἄγετον, ξυνέλκετον καὶ σφώ . .*
Τρ. *οὔκουν ἕλκω καξαρτῶμαι.*

Versum priorem ad metrum jambicum redigere studuerunt Hermannus, Dindorfius, Ahlwardtus nullo ut mihi videtur successu. In *ἄγετον* inest *ἄγετ' οὖν*. Jam *ξυνέλκετον* in *ξὺν ἐμοί γ' ἕλκετε* disjungendum quo facto recte procedunt rhythmi: *ἄγετ' οὖν ξὺν ἐμοί γ' ἕλκετε καὶ σφώ.* Simili ratione vocula *γε* interponenda versui 524 multis modis tentato (*τοῦ μὲν γὰρ ὄζει*) *'Επυλλίων Εὐριπίδου. Τρ. Κλαύσ' ἄρα σύ* Scrib. *κλαύσει γ' ἄρα σύ.* —

Vers. 482 (491).

Χορ. Μικρὸν κινοῦμέν γ'. Τρ. οὐ δεινὸν
τοὺς μὲν τείνειν, τοὺς δ' ἀντισπᾶν;
πληγὰς λήψεσθ', ὦ 'ργεῖοι.

Dindorfius, librum Ravennatem sequutus in textu posuit:

Ἑρμῆς.

Μικρόν γε κινοῦμεν.

Τρυγαῖος.

Οὔκουν δεινόν . . . .
τοὺς μὲν τείνειν, τοὺς δ' ἀντισπᾶν; κ. τ. λ.

putans excidisse post vocem δεινόν vel δῆτα τόδ' ἐστίν, quae in similibus locis apparent. Horum neutrum videbis probandum, quia et transposita vocula γε et additis his tribus vocibus solvuntur anapaesti spondiaci quibus consilio usus est poeta ut nisum magna vi trahentium ipso rhythmo indicaret, quo sublato venustas loci obfuscatur. Idem vir doctissimus ante Μικρὸν κινοῦμεν verba ὦ εἶα, ὦ εἶα sine ratione sustulit, omissa in Codice Ravenn. et Veneto, quae metrici grammatici additamentum esse pronunciat, atque verba Μικρόν γε κινοῦμεν ad Mercurium transtulit. Sed nec ratio patet, quare metricus grammaticus voces adjecerit, nec recte Mercurius κινοῦμεν dicit, quippe qui non ipse trahat cum reliquis, sed eos hortatu tantum et numine suo juvet. Hinc v. 509 *Ερμ.* χωρεῖ γε δὴ τὸ πρᾶγμα πολλῷ μᾶλλον ὦ 'νδρες ὑμῖν, non ἡμῖν dixit, quo opus erat, si ipse cum reliquis manus applicaret.

Vers. 519 (527).

Ερμ. Μῶν οὖν ὅμοιον καὶ γυλίου στρατωτικοῦ;
Χορ. Ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον πλέκος.

Posterior versus colorem habet tragicum et ni fallor ex Euripide traductus est et ex loco quidem, in quo πλέκος de δολοπλόκῳ aliquo qualis Ulysses in Tragoediis exhibitus erat. Eadem voce Aristophaneus Euripides utitur in scena similis parodiae plena Acharn. 802 τί δ' ὦ τάλας σὺ τοῦδ' ἔχεις πλέκους χρέος· qui versus et ipse ex Euripide sumtus est teste Schol.

Vers. 588.

Πρῶτα μὲν γὰρ αὐτῆς ἦρξε Φειδίας πράξας κακῶς·

Εἶτα Περικλέης φοβηθεὶς μὴ μετάσχοι τῆς τύχης
Πρὶν παθεῖν τι δεινὸν αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν . . .
Κἀξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον, ὥστε τῷ καπνῷ κ. τ. λ.

Locus in historia Phidiae maximi momenti habitus, sed qui sensu et metro laborat. Metro consulere voluit Bentlejus transpositis vocabulis *αὐτῆς ἦρξεν*, sensui Seidlerus scribendo *ἦρξεν ἄτης*. Hanc mutationem emendationem dicit Dindorfius et in textu posuit. Sed fuisse hic sermonem non *περὶ ἄτης*, verum *περὶ αὐτῆς* nempe *εἰρήνης* colligas ex versu 598 et sequentibus:

Τρ. *Ταῦτα τοίνυν μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ πεπύσμην οὐδενός*
Οὐδ' ὅπως αὐτῇ προσήκοι Φειδίας ἠκηκόη.
Χορ. *Οὐδ' ἔγωγε πλήν γε νυνί· ταῦτ' ἄρ' εὐπρόσωπος ἦν,*
Οὖσα συγγενὴς ἐκείνου· πολλά γ' ἡμᾶς λανθάνει.

Nam apertum ex his nexum interiorem inter Phidiam et Pacem statui atque cognationem, deque ea Chorum in praecedentibus primum fuisse edoctum. Hoc si ita est, *αὐτῆς* conjecturis non erit obliterandum. Quidquid enim lectum fuerit, debuit eo explicata vel saltem indicata fuisse illa ipsa ratio quaecunque demum *αὐτῆς* i. e. *Εἰρήνης* ad Phidiam fuerit. *Ἄρχειν εἰρήνης* significat auctorem esse Pacis, ut *ἄρχειν πολέμου*, aut ducem, principem atque arbitrum, ut *ἄρχειν Ἑλλήνων, Ἀθηναίων*. Jam si ad splendida Phidiae opera respicias, quae et otio et opibus indigebant pace sola parabilibus, facile videas, qua ratione *ἄρχειν εἰρήνης* ille dicatur. Sed hoc imperium male ipsi cessit, gessit id *πράξας κακῶς*. Hinc Pericles timore et mala conscientia actus rempublicam turbasse dicitur et in tumultu perisse Pax *ἥδε δ' ἠφανίζετο*. Historiam non tango, satis quidem cognitam in-

primis post egregiam Othofredi Mülleri operam in ea illustranda positam. Sed in verbis *ἐμβαλών . . . ἦδε δ' ἠφανίζετο* Bentlej. sine caussa *Κἀξεφύσησε* pro *ἐξεφύσησε* scripsit, ita ut versus prior ad praecedentia referretur. Sed recte sententiae in universum indicatae explicatio sine copula additur. Ea tamen carere non potest oratio v. 614 in quo *κοὐκέτ'* pro *οὐκέτ'* scribas.

Vers. 717 (732).

Ἡμεῖς δ' οὖν τοῖσι Θεαταῖς
Ἣν ἔχομεν ὁδὸν λόγων εἴπωμεν χὤσα τε νοῦς ἔχει.

Haec vulgata est, metro in *λόγων* corrupto et in *ἔχει* manco, nec sensu in fine commodo. Ravennas prius vitium ex parte tollit *λόγον* exhibens. Sed jam laborat constructio. Quid enim verba *λόγον εἴπωμεν ἣν ὁδὸν ἔχομεν* sibi velint, nemo facile dixerit. Diversissima tentarunt interpretes, in quibus insignis et hic Reisigii interpolatio.

ὁδὸν ἣν ἔχομεν τοιῶνδε λόγων, εἴπωμεν ὅσ' αὐτὸς ἔχει νοῦς,

quae si apud poëtam legerentur et interprete et emendatore indigerent. De sensu videndum. *Ὁδός* de ratione artis Pindaro non raro adhibitum Ol. I. 178 ed. H. *ὁδὸν λόγων* et in simili re *καί τινα Οἶμον ἴσαμι βραχύν.* Idem de Oraculo in Equitt. 1015 (add. 1030) *Φράζευ Ἐρεχθείδη λογίων ὁδόν* i. e. oraculorum rationem. Non igitur mirum, si *λόγων* nempe voce ad *ὁδὸν* relata in Ravennate quamvis nunc quidem haud apta apparet. Quod autem dicit poëta, hoc est, se velle rationem explicare artis suae *ἣν ὁδὸν ἔχομεν* idque oratione. Hoc autem quum in proxima *ῥήσει* fiat, haud dubie scrib. *ὁδὸν ἣν ἔχομεν λόγῳ εἴπωμεν.* Poëta vero praeter artem

suam alia plura in parabasi tractat, quae jam annunciat reliquis verbis *καὶ ὅσα ὁ νοῦς κ. τ. λ.* Haec autem ad eandem sensus analogiam ita scribas *χὤσα γε νοῦς αὐτὸς ἐπείγει* scil. *ἡμᾶς* nos impellit. *Γέ* autem posuit, quia integra dictio esset *καὶ ὅσα ἄλλα* et quae praeterea. Hinc igitur *ὅσα* sensu praegnanti dictum est.

Vers. 830.

Οἰκ. Τί δ' ἔδρων (αἱ ψυχαὶ τῶν διθυραμβοδιδασκάλων)
Τρ. Ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμεναι
Τὰς ἐνδιαεριανερινηχέτους τινάς.

Habes vocem spissam ex Aristophanis fabrica et *προγάστορα*, sed in mediis intestinis laborantem. Primae duae syllabae ductae ab *ἔνδιος* serenus, sequentes duae ab *ἀήρ*. Tres posteriores ab *ἠχέτης* unde Hesiodi *ἠχέτα τέττιξ* sumptus est *E* 580, qui *δενδρέῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν καταχεύατ' ἀοιδήν*. Hucusque igitur istae *ἀναβολαὶ* erunt per liquidum aera resonantes. Sed mediae in his vocibus haerent literae *ΙΑΝΕΡΙΝ*. Has *ΙΑΤΕΡΙΝ* i. e. *Τ* pro *Ν* Cod. Rav. exhibet. Suid. voc. *διθυραμβοδιδάσκαλοι* earum loco habet *ΙΑΙΕΡΙΝ* i. e. *Ι* pro *Ν* vel *Τ* sed idem *ΙΑΝΕΡΙΝ* praebet ad vulgatam lectionem sub ipsa hac voce. Editio princeps Suidae Mediol. priore loco habet: *καὶ ἔλεγον. ἐν διαέριαι. ἐρινηχέτους*, et in posteriore: *ἔνδια εριαβερινηχέτους*, i. e. cum literis ΙΑΒΕRΙΝ in parte vocabuli dubia. Sedes igitur corruptelae in litera media inter *Α* et *Ρ* est, quam *Β, Ι, Ν, Τ* libri vetusti exhibent. Atque *Τ* quidem nititur auctoritate Didymi ap. Schol.: *Δίδυμος δὲ πεπλάνηται λέγων αὐερινηχέτους· οὐ γὰρ λέγουσιν αὐέρα οὗτοι* nempe *διθυραμβοδιδάσκαλοι*. Addit idem: *συνεχῶς δὲ αὐτοὺς κωμῳδοῦσιν, ὡς ἀέρας καὶ νεφέλας καὶ τὰ ἐκ τούτων σύνθετα ποιοῦντες*. Videtur hic *νεφέλας* habuisse in voce. Quod si statuis leg. erit *τὰς ἐνδιαιθε-*

ῥινεφεληχέτους τινάς, quae tamen satis violenta esset mutatio. Reisigius ἐνδιαεριαιθερινηχέτους, quod probat Dindorfius sine causa. Nam ἀήρ et αἰθήρ si hic conjuncta sunt i. e. vocabula idem fere significantia mera existit compositionis scabrities et νήχετος male cusum vocabulum est. Scrib. ἐνδιαεριεαρινηχέτας ut media ducatur vox ab ἐαρινὸς et sensus sit: „quae veris tempore per aera resonant“. Corruptela orta ex affinitate Syllabarum αερι et εαρι. Veris cum dithyramborum cantu concentum et consortium monstrat ipse Aristophanes Nubium 312 Ἦρί τ᾽ ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα καὶ Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν et nobilissimum Pindarici dithyrambi fragmentum p. 575 no. 45 ed. Boeckh, cujus splendidissimi carminis partem illustrando Aristophanis vocabulo idoneam hic transcribamus, ut animus ab examine syllabarum et vocularum paulo lassatus in eo requiescat:

Δεῦτ᾽ ἐς χορὸν Ὀλύμπιοι . .
οἰχνεῖτε . . ἰοδετᾶν λάχετε στεφάνων
τᾶν τ᾽ ἐαριδρέπτων λοιβᾶν . .
τὸν Βρόμιον τὸν Ἐριβόαν καλέομεν . .
ἐν Ἀργείᾳ Νεμέᾳ μάντιν οὐ λανθάνει
Φοίνικος ἔρνος, ὁπότ᾽ οἰχθέντος Ὡρᾶν θαλάμου
εὔοδμον ἐπαΐωσιν ἔαρ φυτὰ νεκτάρεα.
Τότε βάλλεται, τότ᾽ ἐπ᾽ ἀμβρόταν χέρσον ἐραταὶ
ἴων φόβαι, ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται,
ἀχεῖται τ᾽ ὀμφαὶ μελέων σὺν αὐλοῖς
ἀχεῖται Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί.

Vers. 798 (832).

Οἰκ. οὐκ ἦν ἄρ᾽ οὐδ᾽ ἃ λέγουσι κατὰ τὸν ἀέρα,
ὡς ἀστέρες γιγνόμεθ᾽ ὅταν τις ἀποθάνῃ;

Τρυγ. Μάλιστα. *Οἰκ.* καὶ τίς ἐστιν ἀστὴρ νῦν ἐκεῖ;
Τρυγ. Ἴων ὁ Χῖος, ὅσπερ ἐποίησεν πάλαι
ἐνθάδε τὸν Ἀοῖόν ποθ', ὥστε γ' εὐθέως
Ἀοῖον αὐτὸν πάντες ἐκάλουν ἀστέρα.

In primo versu interpunctio mutanda, quam vel nuperrimi editores servant. Non enim λέγουσι κατὰ τὸν ἀέρα, sed ὡς ἀστέρες γιγνόμεθα κατὰ τὸν ἀέρα. Scrib. igitur λέγουσιν, κατὰ τὸν ἀέρα ὡς ἀστέρες γιγνόμεθ'. — In penultimo Rav. et Ven. habent ὡς δ' ἦλθ' εὐθέως, quod recepit Dindorfius ac jure quidem, quantum ad ὡς δ' ἦλθε. Sed etiam de εὐθέως dubito. Vox enim superflua, contra requiris adverbium loci. Schol. ad h. v. ὡς δ' ἦλθεν, ἐνθάδε, ἀντὶ τοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν, ἀπέθανεν. Patet hunc in libro suo habuisse ἐνθάδε post ὡς δ' ἦλθ' nec vero εὐθέως. Expulsum videtur ἐνθάδε a grammaticis de significatione sollicitis, quippe cum ἐκεῖ expectes. Sed ἐνθάδε ut ἔνθα omnino de loco jam indicato ponitur sive propinquus ille est, sive longe remotus. Jam vero vox ἐνθάδε ad initium versus traducta ibi lectionem genuinam expulit, quae ni fallor fuit ἀστέρα τὸν Ἀοῖον. At vero haec probabilia, non certa.

Vers. 817 (852).

Τρυγ. οὐ γὰρ ἐθελήσει φαγεῖν
οὔτ' ἄρτον, οὔτε μᾶζαν, εἰωθυῖ' ἀεὶ
παρὰ τοῖς θεοῖσιν ἀμβροσίαν λείχειν ἄνω.
Οἰκ. Λείχειν; ἄρ' αὐτῇ καὶ κανάσκευαστέον.

Haec Juntinae II. lectio. Hinc fecere κανᾶ σκευαστέον, quod quamvis sensu nullo haeret adhuc in textu Brunckiano. Nam κανᾶ vel κανίσκια feruntur non linguntur a virginibus. Juxta κανᾶ apparet altera lectio κἀνθάδε in edd. Farr. et Brub. probata jam

Berglero, qua recepta interrogatio tollenda est: *λείχειν ἄρ' αὐτῇ κἀνθάδε σκευαστέον.* Sed alio ducit loci totius ratio. Nam verbis *λείχειν ἄνω*, quibus utitur Trygaeus ex procaci servi ingenio apte demum respondebunt verba *λείχειν κάτω.* Scribendum igitur erit: *λείχειν ἄρ' αὐτῇ καὶ κάτω σκευαστέον.* Hoc explicuerunt addita glossa *καὶ ἐνθάδε*, ex cujus cum vera lectione vel mixtione vel confusione ortae sunt scripturae *κανθαδε, κανᾶ*, reliquae. Sed Scholiasta qui *κάτω λείχειν* per *ἐνθάδε λείχειν* explicuit, a vernacula servi impudentia aberravit. Quid voluerit, istud perspexit jam Brunckius, quamquam hic quidem *λεκάνην σκευαστέον* scribendo lectionem corrupit, et satis aperto indicat ipse poëta verbis, quibus Ariphraden v. 848 carpit: *Οἰκ. Ἀριφράδης (νεύει) ἄγειν παρ' αὐτὸν ἀντιβολῶν. Τρυγ. ἀλλ' ὦ μέλε τὸν ζωμὸν αὐτῆς προσπεσὼν ἐκλάψεται*, ubi videndi interpretes.

Vers. 856 (891).

Τουτὶ δ' ὅρα τοὐπτάνιον ἡμῖν ὡς καλόν.
Διὰ ταῦτα καὶ κεκάπνικεν ἆρ' ἐνταῦθα γὰρ
Πρὸ τοῦ πολέμου τὰ λάσανα τῇ βουλῇ πότ' ἦν.

Ita Dindorfius, repudiata in primo versu lectione *ὁρᾶτε*, quam reliqui critici servant, motus ni fallor pronomine *τουτί*, cui subjungitur usu vulgato articulus, hoc autem versu non opus eo, quia vox demonstrationem loci continet et fere adverbii vice fungitur. Legendum igitur *ὁρᾶτ' ὀπτάνιον*, itaque vertendum: Videte autem hicce coquina nobis quam pulchra sit. In secundo variant libri exhibentes *ἄρ'* et *ἆρ'*, *κεκάπνικ'* et *κεκάπνικεν.* Molesta autem hoc situ vocula ille circumflexo notata et scrib.: *Διὰ ταῦτα καὶ κεκάπνικεν ἄρα γ'· ἐνταῦθα γάρ. Ἄρα γε* usu legitimo, ubi non simpliciter sed cum asseveratione aliquid ex praecedentibus conclusione facta deducitur.

Vers. 905 (939).

ὡς πάνθ' ὅσ' ἂν θέλῃ γε χ' ἡ τύχη κατορθοῖ.

Haec Juntinae II. aliarumque editionum lectio. *Γέ* autem ex *Θεός* corruptum fuisse eo apertum est, quod ipsum hoc nomen *θεός* exhibent liber Victorianus, Scholiasta et Suidas sub vocibus *πάνθ' ὅσ' ἄν*, quo recepto versus procedit:

ὡς πάνθ' ὅσ' ἂν θέλῃ θεὸς καὶ τύχη κατορθοῖ.

Nam *καὶ Τύχη* scribam pro *χἠ Τύχη* ob dictionis concinnitatem. Versus est diameter iambicus subjuncto ithyphallico. Cum autem ei in anstistrophicis respondere debeat versus 988 (1023) *σέ τοι θύραισι χρὴ μένοντα τοίνυν*, vidit Dindorfius aliquid hic excidisse et scribendum proposuit *σέ τοι θύρασιν ὦ γέρον χρὴ μένοντα τοίνυν*. Sed subjungitur *σχίζας δευρὶ τιθέναι ταχίως*, ex quibus patet, arae, cui imponantur *σχίζαι*, notionem requiri. Scribas igitur *Σέ τοι θύρασι παρὰ βωμῷ χρὴ μένοντα τοίνυν Σχίζας δευρὶ τιθέναι*, collato versu 908 (942) *ὡς ταῦτα δῆλα γ' ἔσθ' ὁ γὰρ βωμὸς θύρασι καὶ δή*.

Additamenta ad Fr. Thierschii dissertationes quae praecedunt.

---

1. Ad dissertationis de sepulcro Alyattae finem p. 433 haec addi velim:

Quae post devictos a Lydis Maeones et Torrhebos gentis illius fata fuerint, id quidem nos latet usque ad Candaulis aevum, qui ultimus illius regum prosapiae fuit. Hunc referunt a Gyge regno vitaque spoliatum, Gygem autem ejus servum fuisse, qui reginae auxilio regem dolo interfecerit. Omnem de Gyge historiam fabulosam esse jam dudum perspexerunt, sed historico fundamento niti non minus certum est. Ejus enim sub persona rerum conversio latet, qua factum est, ut regnum Lydorum ad aliam Regum stirpem transiret, quod quidem plerumque non sine armis et hominum caedibus fieri solet. Hoc ipsum autem ut istis quoque imperii Lydorum vicibus accidisse statuamus, nos movet locus de Gyge ejusque origine, servatus ab Etymologo M. v. *Τύραννος*. Ita enim Lexicographus: *Τύραννος, ἤτοι ἀπὸ τῶν Τυῤῥηνῶν· ὠμοὶ γὰρ οὗτοι· ἢ ἀπὸ τοῦ Γύγου, ὅς ἐστιν ἀπὸ Τύῤῥας, πόλεως Λυκιακῆς, τυραννήσαντος πρῶτον ἐν αὐτῇ*. Scribendum hic esse *Λυδιανῆς* pro *Λυκιακῆς* jam Sylburgius vidit, quem recte sequitur C. O. Müllerus in libro de Etusc. T. I.

p. 80 not. 22. Hoc si verum, habemus Tyrrham vel Torrham i. e. Torrheborum metropolin Gygae patriam, ipsumque ejus principem vel *τύραννον* factum. Hic igitur, qui gentis prius a Lydis devictae principatum est consequutus, si postea toto Lydorum imperio cum regis eorum caede potitus est, facile patet, novam illam rerum conversionem satis clare indicari, qua factum est, ut qui antea a Lydis superati essent Torrhebi, ipsi versa vice Lydos debellarent ducemque suum totius gentis regem constituerent. Hoc si ita accidit, apertum est, quo modo, cum historica fides fabulis velaretur, Gyges, e gente Lydis subjecta ortus, Candaulis servus dici potuerit. Videtur tamen non ulterius progressa haec victoria, quam ut sub nova regum progenie singulae universae gentis nationes aequali jure jungerentur, regni autem nomen et caput, Sardibus constitutum, maneret. Hoc si ita se habuit, tantum abfuit, ut istae turbae regnum Lydorum debilitarint, ut potius novae vires ei inde succreverint. Nam statim a Gyge incipiunt illa Lydorum incrementa, quae usque ad Alyattem et Croesum continuata regnum eorum ad maximam potentiam evexerunt.

2. Ad dissertationis de Murrinis veterum finem haec addas p. 508: Argumentis, quibus probare studui, Vasa Gonzagae atque Barberini nec non fragmenta Vasorum Gagarini murrina cocta Propertii referre, novum argumentum accessit ex natura massae illius candidae, ex qua figurae in superficie vasis cyanea formatae sunt. Dixi supra eam formatam videri ex quarzo vel alabastro trito et polline conglutinato. Sed re accuratius investigata patuit, esse fluorem mineralem (Flussspath) ex quo constet, qui contusus et polline junctus, dein Vasi inductus et in foco positus ardoris vi in massam nitescentem et vitri fere naturam referentem abiit. Cum autem p. 493 seqq. docuerim, murram veterum ipsum hunc fuisse lapidem, quia nostris fluor mineralis vel scissilis (Flussspath) nominatur, quid jam naturae vasorum illorum magis congruum, quam ad murrina ea referri, siquidem figurae ex lapide quem murrinum fuisse jam

constat, ei superinductae erant? Hoc si verum est, omnis dubitatio sublata esse ex hac quaestione videtur, nec quidquam superesse, quod nos impediat, quominus in vasis illis murrina cocta Propertii agnoscamus.

3. Ad Aristophanea p. 699 haec addas velim in Equites:

Vers. 802.

Εἰ δέ ποτ' εἰς ἀγρὸν οὗτος ἀπελθὼν εἰρηναῖος διατρίψῃ,
Καὶ χίδρα φαγὼν ἀναθαῤῥήσῃ καὶ στεμφύλῳ εἰς λόγον ἔλθῃ,
Γνώσεται οἵων ἀγαθῶν αὐτὸν τῇ μισθοφορᾷ παρεκόπτου . . . .
ΚΛ. οὔκουν δεινὸν ταυτί σε λέγειν δῆτ' ἔστ' ἐμέ καὶ διαβάλλειν.

Conjunctivos tres διατρίψῃ, ἀναθαῤῥήσῃ, ἔλθῃ post simplicem particulam εἰ exhibent etiam libri Bekkeri. Brunckianus A ἔλθοι habet, quo adminiculo usus Brunckius eumque sequutus Dindorfius scripsere διατρίψει, ἀναθαῤῥήσει, ἔλθοι, in qua διορθώσει non patet, quare oratio ex indicativo in optativum transeat. Repugnat non linguae quidem, sed usui atticorum recepto conjunctivus post simplicem particulam εἰ in tali oratione. Huc accedit, quod ea, quae his verbis continentur, εὐχῆς ἔργα vel in votis sunt. Hinc mihi quidem non dubium, quin optativis usus sit Aristophanes et scribendum sit εἰ δ' .... εἰρηναῖος διατρίψαι καὶ χίδρα φαγὼν ἀναθαῤῥήσαι ... καὶ σταμφύλῳ εἰς λόγον ἔλθοι. Saepissime autem αι horum optativorum in ῃι corruptum est. — In versu Cleonis οὔκουν δεινὸν ταυτί σε λέγειν δῆτ' ἔστ' ἐμὲ καὶ διαβάλλειν — ἐστὶ illud delitescens inter δῆτα et ἐμέ et eo loco illatum, in quo id non amplius expectas, incommodum est. Hinc mihi quidem vix dubium est, quin scribi debeat ἔς γ' ἐμέ pro ἔστ' ἐμέ.

Vers. 865.

Σκύτη τοσαῦτα πωλῶν
Ἔδωκας ἤδη τουτῳΐ κάττυμα παρὰ σεαυτοῦ.

Aldina γε habet post τουτῳΐ. Non autem haec vox tonum habet, sed κάττυμα. Hinc scrib. ἔδωκας ἤδη τουτῳΐ κάττυμά γε παρὰ σαυτοῦ. Molesta est eadem vocula in vicinia v. 870 Κρίνω σ' ὅσων γ' ἐγῷδα περὶ τὸν δῆμον ἄνδρ' ἄριστον. Nihil enim habet ὅσων, quare cum vi aliqua pronunciari debeat. Recte igitur Bekkerus particulam omisit ex sequenti syllaba ni fallor natam.